D: 4. 2

Dialecticæ

Libri Duo.

Horat. Lib. 1. Epist. 1.

Nullius addictus jurare in verba magistri.

Κοινὰ καινῶς.
Καινὰ κοινῶς.

LONDINI:
Sumptibus *T. Garthwait.*
1655.

Dialecticæ liber primus, De Inventione.

CAP. I.

De Dialecticâ, Inventione & Argumentorum generibus.

Dialectica, sive Logica, est ars bene disserendi, id est, ratione utendi.

Partes Dialecticæ duæ sunt: Inventio, & Judicium sive Dispositio.

Inventio est prior pars Dialecticæ de inveniendis argumentis.

Argumentum est, quod ad aliquid arguendum affectum est. Dicitur etiam *Locus Inventionis*.

Argumentorum, sive Locorum inventionis, novem sunt classes, eæque singulæ binæ, & in mutuâ relatione ad se invicem:

(quamvis in aliquibus eorum reciprocat
arguendi obſcurior ſit, & minoris uſû
viz. 1. Cauſa, & Cauſatum. 2. Subj
ctum, & Adjunctum. 3. Diſſentane
4. Comparata. 5. Conjugata. 6. Nome
& Notatio. 7. Totum & Pars. 8. Defi
tio, & Definitum. 9. Teſtimonium, & T
ſtatum.

Horum ordinem & connexionem vi
in Tabulâ ſequente.

Argumenta ſunt vel

Argumen

rata
affe

Eædem res alio atque alio respectu consideratæ, possunt habere variorum Argumentorum affectiones.

CAP. II.

De Causâ & Causato: Et primò de Efficiente & Effecto.

CAusa est, cujus vi res est.

Causatum est, quod est vi Causæ.

Causa & Causatum quadruplicia sunt.

1. Efficiens & Effectum.
2. Materia & Materiatum.
3. Forma & Formatum.
4. Finis & Destinatum.

* Aristot. Phys. lib. 2 cap. 3. & 2° Poster. cap. 11. & 1° Metaphys. cap. 3. & lib 4° cap. 2.

Ex Causis, Materia & Forma intrinsecæ sunt, & vocantur *Principia*: Efficiens & Finis extrinsecæ sunt, & speciatim appellantur *Causæ*. Specialissimè autem & propriissimè *Efficiens* nominatur *Causa*, atque adeò distinguitur à *Principiis*, & *Fine*.

Similiter *Causatum*, respectu Materiæ & Formæ, dicitur *Compositum*; respectu Finis, *Destinatum*; respectu autem Efficientis propriè dicitur *Effectum*. Generali verò acceptione, Effectum dicitur respectu omnium quatuor Causarum, adeoque idem est, quod Causatum.

Efficiens est causa, à quâ res est.

Effectum est, quod fit ab Efficiente.

Efficiens & Effectum variis modis distinguuntur. Præcipuè autem, Efficiens est

vel

vel Agens, vel Faciens: Effectum est vel Actio, vel Res actione producta.

Actio autem respectu Agentis, Effectum est; respectu Rei actione productæ, Efficiens est.

Exempla Agentis & Actionis, sive aliquid actione producatur, sive non.

Deus.	*Creare, conservare, gubernare mundum.*
Homo.	*Cogitare, loqui, legere, scribere, edere, bibere, ludere, pugnare, emere, vendere, ædificare, plantare, procreare & educare liberos.*
Bestiæ.	*Procreare pullos, parare sibi & pullis pastum & latibula, servire homini.*
Plantæ & res inanimatæ.	*Variæ operationes medicinales, & aliæ.*
Magnes.	*Attrahere ferrum, tendere in polos mundi.*
Ventus.	*Flare, purgare aërem, tempestates excitare.*
Ignis.	*Calefacere, exiccare, fovere, urere, coquere, assare, liquefacere.*

Terra.	*Sustentare omnia quæ in ipsâ sunt, plantas & quædam animalia proferre, omnia alere.*
Prudentia.	*Rectè consulere de rebus agendis.*
Temperantia.	*Moderatè expetere & frui voluptatibus.*
Justitia.	*Suum cuique tribuere.*
Fortitudo.	*Labores & pericula rectè subire, & perferre.*

Exempla Facientis, & Rei actione productæ.

Deus.	*Mundus, omniaq; quæ in eo sunt.*
Parentes.	*Liberi, nepotes, posteri.*
Inventor.	*Res inventa, ejusque usus.*
Autor.	*Dictum, scriptum.*
Artifex.	*Opus artis.*
Legislator.	*Lex, præmium, pœna.*
Pater-familiâs.	*Ædificia, horti, pomaria, ambulacra, vivaria.*
Animalia.	*Pulli, pastus, latibula.*
Arbor.	*Folia, flores, fructus.*
Terra.	*Plantæ, animalia quædam.*
Sol, Luna, Stellæ.	*Lumen in aëre, dies, menses, anni, alii effectus varii.*
Frugalitas, & diligentia.	*Divitiæ, liberalitas.*
Temperantia.	*Sapientia, prudentia, sanitas corpo-*

corporis, bona fama, divitiæ, longævitas.

Intemperantia. *Stultitia, morbi, infamia, paupertas, brevitas vitæ.*

Manſuetudo, Juſtitia. } *Benevolentia, pax.*

Iracundia, Injuſtitia. } *Jurgia, lites, pugnæ, bella, cædes.*

Similitudo. *Societas, amicitia, ſatietas.*

Experientia. *Prudentia, fiducia, cautio.*

Meritum. *Præmium, pœna.*

Præterea, Efficiens eſt Procreans, vel Conſervans.

Item, Solitaria, vel Socia.

Item, Principalis, vel Minùs principalis.

Inter Minus principales ſunt Adjuvantes ſive Inſtrumentales.

Inſtrumentum eſt vel Animatum vel Inanimatum. *Ariſtot. Polit. lib. 1. ca. 3.*

Item Efficiens eſt vel προηγουμένη, quaſi præinducens, vel προκαταρκτικὴ, quaſi incipiens ſive inchoans, & in actum producens effectum. 2 Reg. 2. 23, 24, 31, 42, 43, 44.

Item Efficiens eſt Per ſe, vel Per accidens. Sic Effectum.

Item Efficiens eſt Proxima, vel Remota. Sic Effectum.

CAP.

CAP. III.

De Materiâ & Materiato.

MAteria eſt cauſa, ex quâ res eſt.
Materiatum eſt, quod fit ex Materiâ.

Exempla Materiæ & Materiati.

Terra.	*Corpus humanum.*
Corpus humanum.	*Homo.*
Terra & aqua.	*Exhalationes.*
Exhalationes.	*Nubes.*
Nubes.	*Pluvia, nix.*
Pluvia, nix.	*Torrens.*
Semen.	*Planta, animal.*
Aurum, argentum, æs.	*Nummus, vas, ſtatua.*
Ferrum.	*Gladius, ſecuris, catena.*
Pannus.	*Veſtis.*
Triticum.	*Panis.*
Lapides, lateres, ligna.	*Domus, murus, propugnaculum.*

Loco Materiæ aliquando uſurpatur *Subjectum* (quæ appellatur *Materia in quâ*) aliquando *Objectum* (quæ dicitur *Materia circa quam*) aliquando *Genus*, aliquando *Partes*. De quibus infrà ſuis locis.

Materia

Materia eſt permanens, vel tranſiens.
Item, proxima, vel remota.

CAP. IV.

De Formâ & Formato.

FOrma eſt cauſa, per quam res eſt id quod eſt.

Formatum eſt, quod per Formam eſt id quod eſt.

Forma dat Formato 1. Eſſentiam. 2. Nomen. 3.* Diſtinctionem à cæteris rebus. 4. Propria accidentia. 5. Operationes.

* Hinc Forma, aut aliquid ejus dicitur Differentia.

Formæ rerum propriè dictæ ferè nobis ignotæ ſunt. Quod autem cuiq; rei maximè eſſentiale eſt, id pro ejus Formâ accipi atque uſurpari poteſt.

Exempla Formæ & Formati.

Anima rationalis.	*Homo.*
Anima ſenſitiva.	*Animal.*
Anima vegetativa.	*Vivens.*
Mediocritas.	*Virtus.*
Declinatio à mediocritate.	*Vitium.*
Amor mutuus.	*Amicitia.*

Rotun-

Rotunditas. *Sphæra.*

Abstractum quodlibet est Forma Concreti, ut, *Albedo albi*, *Justitia justi*, *Dominium domini*, *Servitus servi*.

Rerum artificialium Formæ (utpote quæ externæ sunt) facilè sensibus percipiuntur; verùm non nisi longis verborum ambagibus exprimuntur, ut *Forma domûs*, *gladii*, *vestis*, *mensæ*, *poculi*.

CAP. V.

De Fine & Destinato.

FInis est causa propter quam (vel, cujus gratiâ) res est.

Destinatum est, quod est propter Finem, (vel gratiâ Finis.)

Finis est duplex,* οὗ, & ᾧ. Finis cujus, & Finis cui.

Finis cujus, est bonum quod intenditur.
Finis cui, est is, vel id, cui bonum intenditur.

מה ומי Exempla Finis cujus, & Destinati.

Vita. *Victus.*

Depulsio caloris & frigoris, } *Vestitus.*
Tectio nuditatis. }

Habi-

* Cic. de Lege Agr. fol. 90. qua de causa & quorum causâ. 2 Tim. 2. 10. Isa. 22. 16.

Habitatio.	*Ædificatio.*
Vſus.	*Divitiæ.*
Victoria.	*Pugna.*
Pax.	*Bellum.*

Procreatio liberorum,
Mutuum auxilium & ſolatium, } *Conjugium*
Vitatio ſcortationis.

Singulæ artes ſuos habent proprios Fines.

Bene loqui.	*Grammatica.*
Bene dicere.	*Rhetorica.*
Bene diſſerere.	*Dialectica.*
Bene numerare.	*Arithmetica.*

Denique quicquid agimus, alicujus finis vel boni gratiâ agimus.

Exempla Finis cui, & Deſtinati.

Deus.	*Mundus, ejuſq; creatio.*
Homo.	*Reliquæ creaturæ corporeæ.*
Animalia.	*Herbæ, fruges.*
Dominus.	*Servus, ejuſq; opera.*
Cives.	*Leges, artes, judicia.*
Corpus humanum.	*Victus, veſtitus, medicina.*
Is, cui militatur.	*Militia, victoria.*

Os — Labor. Eccl. 6. 7. Provin-
Dominus — Templum. 1 Chro. 29. 1.
Homo — Sabbatum. Mar. 2. 27.
Infideles — Linguæ
Fideles — prophetia } 1 Cor. 14. 22.

Provinciæ populi Romani.	*Lex repetundarum.*
Habitator.	*Domus, ædificatio.*
Is, cui aliquid acquiritur.	*Acquisitio, labor & cura acquirendi.*
Is qui amatur.	*Amicitia.*
Vir.	*Mulier.* 1 Cor. 11. 9.

Non sibi sed domino venatur vertagus acer. Martial. 2 Sam. 24. 21.

Præterea Finis est vel Summus sive ultimus, vel Subordinatus sive intermedius.

Item, Proximus, vel Remotus.

Item, Solitarius, vel Socius.

Item, Principalis, vel Minùs principalis.

Item, Rei, vel *Agentis. *Aquin. Sum. 22ae. q. 141. 6. 1m. Supplem. qu. 48. 2. c. Prov. 17. 23. Mat. 6. 1, 2, 5, 16.

CAP. VI.

De Subjecto & Adjuncto.

SUbjectum est, cui aliquid adjungitur. Adjunctum est, cui aliquid subjicitur. Subjectum & Adjunctum quadruplicia sunt.

1. Cùm Adjunctum inhæret Subjecto.
2. Cùm Adjunctum extrinsecus accidit Subjecto.
3. Cùm Adjunctum collocatur in Subjecto.

jecto. Hîc *Locus* eſt Subjectum, & *Locatum* Adjunctum.

4. Cùm Adjunctum verſatur circa Subjectum. Subjectum hîc dicitur *Objectum*, Adjunctum *Occupatum*.

Horum ſingula ſunt Proxima, vel Remota.

Item, Propria, vel Communia.

Exempla primi generis Subjecti & Adjuncti.

Anima humana.	*Potentiæ, artes, virtutes, vitia.*
Corpus humanum.	*Statura, pulchritudo, deformitas, robur, infirmitas, ſanitas, morbi.*
Sol, Luna, Stellæ.	*Lux, virtus.*
Ignis.	*Lux, calor, ſiccitas, levitas.*
Aër.	*Lumen, calor, frigus, humiditas.*
Terra.	*Frigiditas, ſiccitas, denſitas, gravitas.*
Flores.	*Forma, color, odor, virtus.*

Deniq; quælibet ſubſtantia, & Accidentia ei inhærentia.

Exempla

Exempla ſecundi generis.

Homo. *Divitiæ, paupertas, honor, infamia, veſtitus, comitatus.*
Res in tempore. *Tempus, quando, quamdiu, quoties.*
Res qualibet. *Ejus Antecedentia, Conſequentia, Conjuncta ſive concomitantia.*

Exempla tertij generis, id eſt, Loci & Locati.

Terra. *Homines, beſtiæ, plantæ, metalla, lapides.*
Aqua. *Piſces, naves.*
Aër. *Volucres, nubes, aliaq; meteora.*
Cœlum. *Stellæ.*
Patria. *Homo ibi natus, vel degens.*
Urbs. *Civitas, ſive cives.*
Senaculum. *Senatus, conſultatio.*
Templum. *Res divina, Utenſilia ſacra.*
Forum. *Mercatura.*

In Loco ſunt *Res, Perſonæ, Facta.*

Exempla

Exempla quarti generis, id est, Objecti et Occupati.

Sensile.	*Sensus.*
Color, lux.	*Visus.*
Sonus, vox.	*Auditus.*
Res praeteritae.	*Memoria.*
Verum.	*Intellectus.*
Bonum.	*Voluntas, amor, desiderium, spes, gaudium.*
Malum.	*Odium, metus, tristitia, ira.*

Singulæ artes, sive liberales sive mechanicæ, & artifices, in aliquâ materiâ occupantur: quæ materia Subjectum sive Objectum est tam artis quàm artificis.

Ratio.	*Dialectica, dialecticus.*
Oratio.	*Grammatica, grammaticus, rhetorica, orator.*
Numerus.	*Arithmetica, arithmeticus.*
Magnitudo.	*Geometria, geometres.*
Stellæ.	*Astronomia, astronomus.*
Morbi corporis humani.	*Medicina, medicus.*
Oves.	*Pastoritia, pastor.*
Ager.	*Agricultura, agricola.*

Virtutum etiam & vitiorum sua sunt Subjecta sive Objecta, circa quæ versantur, & quibus à se invicem distinguuntur.

Labores & pericula.	*Fortitudo, ignavia.*
Pecunia.	*Liberalitas, avaritia.*
Voluptates corporis.	*Temperantia, intemperantia.*
Ira & vindicta.	*Manſuetudo, ejuſq; oppoſita.*
Affectiones, & actiones.	*Virtus in genere.*

Quicquid etiam cogitamus, dicimus, ſcribimus, de aliquo ſubjecto eſt. Sic in omnibus libris, orationibus, epiſtolis, poematis, diſputationibus, dialogis, ſermonibus, hiſtoriis, fabulis &c. Subjectum eſt materia, quam tractant.

Similiter & actionis cujuſque materia, circa quam occupatur, Subjectum eſt tam actionis quàm agentis.

Accuſativus poſt verbum tranſitivum ferè vel Effectum vel Objectum eſt tum Verbi tum Nominativi. Sic Nominativus reſpectu Verbi paſſivi & Ablativi agentis.

CAP.

CAP. VII.

De Diſſentaneis, & primò de Diverſis.

DIſſentanea ſunt, quæ inter ſe diſſentiunt.

Diſſentanea ſunt Diverſa, vel Oppoſita.

Diverſa ſunt, quæ ratione tantùm diſſentiunt, id eſt, ita diſſentiunt, ut poſſint convenire.

Diverſa igitur ſunt mediæ quaſi naturæ inter ſimpliciter conſentanea & ſimpliciter diſſentanea: id eſt, ita conſentiunt, ut non ſint planè eadem; & ita diſſentiunt, ut tamen non opponantur.

Hinc fons omnis erroris, cum Diverſa ſumuntur vel pro iiſdem, vel pro Oppoſitis. pag. 85

Hæc itaq; ad duo capita referri poſſunt: quæ, ſi placet, appellentur *Conſentanea diſſentientia*, & *Diſſentanea conſentientia*.

1. *Conſentanea diſſentientia* voco, quæ videntur planè eadem eſſe aut admodum affinia, et tamen differunt.

Hujuſmodi ſunt primò, quorum neutrum infert alterum. Ex. gr. *Robuſtus & fortis. Imbecillus & ignavus. Cœlebs & caſtus. Innupta & virgo. Nupta & mulier. Doctus & probus. Sapiens & prudens. Amicus*

Gratum & jucundum. Cic. Ep. tom. fol. 51. b. & 71. a & 144. b.

& blandus. Tenax & rapax. Dives & suâ sorte contentus. Pauper & mendicus. Dulce & gratum. Amarum & ingratum.

Item Subordinata, id est, quorum unum infert alterum, sed non è converso. Ex. gr. *Substantia & corpus. Animatum & animal. Quantitas & magnitudo. Largus & liberalis. Largus & prodigus. Parcus & frugalis. Parcus & avarus. Assentator & adulator. Peccatum & scelus. Inquisitio & consultatio. Spontaneum & deliberatum. Invitum & violentum. Qui facit ignorans & qui facit per ignorantiam. Aliquis & omnis. Aliquando & semper. Pars & totum. Læsus & injuriâ affectus.* Cic. Div. in Ver. 63. b.

2. *Dissentanea consentientia* appello, quæ videntur planè pugnare sive opponi, & tamen solummodo differunt: id est, neutrum eorum tollit alterum. Ex. gr. *Frugalis & liberalis. Justus & misericors. Comis & gravis. Magnanimus & modestus. Mansuetus & severus. Pauper & suâ sorte contentus. Dives & mendicus. Doctus & improbus. Nupta & virgo. Innupta & mulier. Amicus & reprehensor. Inimicus & blandus. Fortis & imbecillus. Robustus & ignavus. Rapax & prodigus. Irritabilis & placabilis.*

Denique omnia quæ enunciantur per *Quanquam* & *Tamen*, Diversa sunt: sive alterum

alterum affirmetur alterum negetur, ut in priore genere; ſive utrumque affirmetur vel utrumque negetur, ut in poſteriore genere.

Hujus loci finis; uſus est ad recte judicandum, tum de veritate & falſitate propoſitionum, tum de conſequentia & inconſequentia Syllogiſmorum; nō quid pro quo aut enuncietur aut concludatur.

CAP. VIII.

De Oppoſitis, & primò de Relatis.

OPpoſita ſunt, quæ ratione & re diſſentiunt, id eſt, quæ ità diſſentiunt, ut non poſſint convenire.

Hinc, Oppoſita, eidem, ſecundum idem, ad idem, & eodem tempore, attribui non poſſunt.

Hinc, Oppoſitorum altero affirmato, alterum neceſſariò negatur.

Hinc, Omnia Oppoſita implicant contradictionem.

Hinc reliqua oppoſita ponuntur pro Contradictoriis. pag. 65. 88. 174. 80.

Oppoſita, ſi tribuantur aut non eidem, aut non ſecundum idem, aut non ad idem, aut non eodem tempore; fiunt ſolummodo Diverſa, adeóque poſſunt convenire. Ex. gr. Hic dives eſt, at ille pauper. Idem dives eſt pecore, at pauper nummis. Dives eſt, ſi ad hunc comparatur; at pauper, ſi

ad illum. Fuit dives, at jam pauper eſt.

Oppoſita ſunt vel ſimultanea vel immediata

Oppoſita opponuntur vel ut unum uni, vel ut unum multis.

Quæ opponuntur ut unum uni, generali nomine appellantur *Contraria.*

Suntq; vel Affirmantia, vel Negantia.

Contraria affirmantia ſunt, quorum utrumque affirmat, id eſt, quorum utrumq; eſt ens ſive poſitivum quid.

Contraria affirmantia ſunt Relata, vel Adverſa.

Relata ſunt Contraria affirmantia, quorum alterum conſtat è mutuâ alterius affectione.

Exempla Relatorum.

1. Diverſorum nominum. *Pater & filius. Dominus et ſervus. Maritus & uxor. Socer & gener. Vitricus & privignus. Præceptor & diſcipulus. Patronus & cliens. Benefactor & beneficiarius. Creditor & debitor. Dare & accipere. Emere & vendere. Locare & conducere. Docere & diſcere. Imperare & ſervire. Præeſſe & ſubeſſe. Antecedens & conſequens. Cauſa & cauſatum. Subjectum & adjunctum. Majus & minus. Superior & inferior. Prior & poſterior. Dextrum & ſiniſtrum.*

2. Ejuſdem

2. Ejuſdem nominis. *Fratres. Cognati. Affines. Populares. Tribules. Vicini. Socii. Collegæ. Contubernales. Commilitones. Amici. Hoſpites. Inimici. Hoſtes. Diverſa. Oppoſita. Similia. Diſſimilia. Paria. Imparia. Conjugata.*

Verbum (adeoque participium) activum & paſſivum ſunt Relata. Ex. gr. *Qui amat, et qui amatur*; vel, *Amans et amatus. Quod continet, et quod continetur*; vel, *Continens et contentum.*

CAP. IX.

De Adverſis.

ADverſa ſunt contraria affirmantia, quorum alterum non conſtat è mutuâ alterius affectione.

Hæc ſpeciatim appellantur *Contraria*.

Exempla Adverſorum.

Calidum et frigidum. Humidum et ſiccum. Grave et leve. Molle et durum. Dulce et amarum. Fragrans et fœtidum. Album et nigrum. Amor et odium. Gaudium et triſtitia. Virtus et vitium. Prudentia et ſtultitia. Fortitudo et ignavia. Temperantia et

Hæc aliquando mediate aliquando immediate opponuntur.

intemperantia. Juſtitia et injuſtitia. Liberalitas et avaritia. Humilitas et ſuperbia. Felicitas et miſeria. Amicitia et inimicitia. Conſentaneum et diſſentaneum. Simile et diſſimile. Æquale et inæquale. Proſequi et fugere. Suadere et diſſuadere. Laudare et vituperare. Accuſare et defendere. Abſolvere et condemnare. Suſpicere et deſpicere. Præmium et pœna. Honor et ignominia. Benedicere et maledicere. Promittere et minari. Sperare et timere. Aperire et claudere. Ligare et ſolvere. Remittere et retinere. Placere et diſplicere. Homo et brutum. Ignis et aqua. Simplex et mixtum. Inſpiratio et expiratio. Generatio et corruptio. Augmentatio et diminutio.

CAP. X.

De *Contradicentibus.*

COntraria negantia ſunt, quorum alterum ait, alterum negat idem. id eſt, quorum alterum tantùm eſt ens ſive poſitivum quid, alterum ſolummodo negatio ejuſdem.

Contraria negantia ſunt Contradicentia, vel Privantia.

Con-

Contradicentia ſunt, quorum alterum negat ubique. Hinc Contradictoria omnia ſunt immediate oppoſita.

Exempla Contradicentium.

Homo, non homo. Bonus, non bonus. Ego, non ego. Idem, non idem. Eſſe, non eſſe. Amans, non amans. Qui facit, qui non facit. Semper, non ſemper. Bene, non bene. Contra, non contra. Poſſe mori, non poſſe mori. Poſſe mori, poſſe non mori. Poſſe mori bene, poſſe mori non bene.

Rom. 9. 25: *Vocabo non populum meum, populum meum; et non dilectam, dilectam.* Sic Rom. 14. 6.

Hæc & ſimilia dicuntur *Contradictoria ſimplicia* ſive *topica*: ſicut & negationes appellantur *Negationes topicæ.*

Hujuſmodi ſunt & hæ negationes.

Deut. 32. 21. *Provocaverunt me in non deo: et ego provocabo eos in non populo.*

Job 20. 26. *Devorabit eum ignis non ſufflatus.*

Iſa. 31. 8. *Cadet Aſſur gladio non viri, et gladius non hominis conſumet eum.*

Iſa. 55. 2. *Quare appenditis argentum in non panem? et laborem veſtrum in non ad ſaturitatem?*

Act. 5. 26. *Adduxit eos non per vim.*

Sic Act. 21. 12. & 24. 18. 1 Tim. 1. 20.

Cic. Ep. fol. 95. Licebat quem nolebas non defendere. Heb.
Horat. Lib. 2. Serm. 3. Si ſcalpra & formax non ſutor.
Ter. Eunuch. Serm. ult. Vos non facere meritò.
Valer. Max. de Fabio Maximo. Cujus non dimicare victoria fuit.

Heb. 11. 31. Isa. 52. 3.

His omnibus topicis negationibus suæ contradicunt topicæ affirmationes.

De affirmatione & negatione, adeoque contradictione *propositionum*, sive *axiomaticâ*, dicetur libro secundo.

CAP. XI.

De Privantibus.

PRivantia sunt, quorum alterum negat in eo tantùm subjecto, in quo affirmatum suapte naturâ inest.

Affirmatum dicitur *Habitus*: Negatum *Privatio*.

Privantia, in subjecto capaci, sunt immediate opposita.

Exempla Privantium.

Plenum & vacuum. Vita & mors. Lumen & tenebræ. Visus & cæcitas. Sapidum & insipidum. Scientia & ignorantia. Memoria & oblivio. Pater & orbus. Filius & orphanus. Maritus & viduus. Uxor & vidua. Loquens & mutus. Vestitus & nudus. Dives & pauper. Audiens & surdus. Motus & quies. Affectus et apathia.

Aliquando Habitus sonat tanquam Privatio,

vatio, & contrà : ſed ex ſignificatione & naturâ diſtinguenda ſunt. Ut *Immortalitas et mors. Incorruptibile et corruptibile. Negotium et otium.* Σχολὴ & ἀσχολία.

Quoniam in Privantibus particula negativa [*non*] non exprimitur (ut in Contradicentibus), ſed utraq; pars videtur eſſe affirmata : Privantia ideo cautè diſtinguenda ſunt ab Adverſis.

Aliquando etiam alterum ex Adverſis ſonat privativè. ut, Injuſtitia, Intemperantia, Infinitum, Inæquale, Inimicitia &c.

CAP. XII.

De Diſparatis.

QUæ opponuntur ut unum multis, ſunt vel Diſparata vel Repugnantia.

Diſparata ſunt, quorum unum multis ejuſdem ordinis opponitur.

Exempla Diſparatorum.

Homo, arbor, lapis, metallum, elementum, ſtella, angelus.

Leo, equus, bos, canis, vulpes, lupus.

Vitis, ficus, pomus, pyrus, prunus, ceraſus, morus.

Album, viride, rubrum, flavum.

Ri-

Ridere, boare, hinnire, latrare, ululare, grunnire, rudere.

Infans, puer, adoleſcens, vir, ſenex.

Anglus, Gallus, Hiſpanus, Italus, Germanus.

Quædam, quæ in abſtracto Diſparata, adeoq; Oppoſita ſunt, in concreto ſunt tantùm Diverſa, aut etiam conſentanea. Ex. gr.

Fortitudo, liberalitas, temperantia, juſtitia, & reliquæ virtutes.

Albedo, dulcedo, calor, humiditas, gravitas, durities.

CAP. XIII.

De Repugnantibus.

REpugnantia ſunt Oppoſitorum conſentanea, aut Conſentaneorum oppoſita. Vel ut alii definiunt, ſunt Contrariorum (addo & Diſparatorum) antecedentia & conſequentia.

Hinc apparet, hunc locum, quantumvis à quibuſdam neglectum, aut obſcurè ſub capite Diſparatorum comprehenſum, inſignis uſûs eſſe, et latiſſimè patere. Cujuſvis

jusvis enim rei plura sunt Repugnantia, quàm omnia alia Oppositа simul sumpta.

Exempla Repugnantium.

Pater. *Generari, juniorem esse, puerum vel infantem esse, fœminam esse, eunuchum esse.*

Filius. *Generare, seniorem esse, fœminam esse, abortivum esse.*

Discipulus. *Plus scire, docere, ignotum esse.*

Servus. *Jubere, superbum esse, facere quod vult, superiorem vel æqualem esse.*

Ignis. *Frigidum, humidum, densum, grave esse.*

Amicitia. *Perfidia, adulatio, suspicio, odium, invidia, ἐπιχαιρεκακία, dissimilitudo morum, ignorantia, improbitas, injuria, fraus, oppressio.*

Bonum. *Metus, tristitia, fuga, mina, pœna.*

Malum. *Voluntas, spes, gaudium, promissio, præmium.*

Memoria. *Præsens, futurum, incognitum.*

Consultatio. *Præterita, necessaria, impossibilia, aliena, levia.*

Leo.

Leo.	*Boare, balare, hinnire, rudere, latrare, ululare, grunnire, ridere, flere.*
Templum.	*Mercatura, lites, confabulationes, ludi, joci, convivia, quævis mundana negotia.*
Prudentia.	*Ignavia, intemperantia, prodigalitas, avaritia, injustitia, & denique quodvis vitium.*

Sic Res quælibet & negatio ejus, quod rei illi necessario inest: ut Homo — Non rationale, non risibile, non animal, non brutum &c.

CAP. XIV.

De Comparatis, & primò de Similibus.

COmparata sunt, quæ inter se comparantur.

Comparata enunciantur vel contractè, & unâ quasi sententiâ; vel explicatè, duabus distinctis partibus. Hæ partes appellantur Propositio sive Protasis, & Redditio sive Apodosis.

Comparata sunt vel vera vel ficta. Nam & ficta comparata arguunt fidemque faciunt.

Comparata sunt vel in qualitate vel in quantitate.

Per

Per *qualitatem* hîc intelligimus positivum sive absolutum: per *quantitatem*, gradum.

Comparata in qualitate sunt Similia, vel Dissimilia.

Similia sunt, quorum eadem est qualitas, id est, quæ in aliquâ re positivè sive absolutè conveniunt.

Notæ Similium sunt, *Similis, effigies, imago, more, ritu, instar, imitor, quasi, ceu, tanquam, ut, velut, veluti, sicut, sicuti, perinde, itidem, ità, sic.*

Item negatio dissimilitudinis, *Non dissimilis, non alius, non aliter, haud secus.*

Similitudo est vel propria, vel metaphorica. Illa dicitur Παράδειγμα, *Exemplum*: hæc Παραβολὴ, *Parabola.* *Hermogenes pag. 152.

Exempla Similium utriusque generis.

Fortis similis est *forti*: item *leoni, equo generoso.*

Timidus similis est *timido*: item *lepori, damæ.*

Constans similis est *constanti*: item *Soli, Terræ, lapidi quadrato.*

Inconstans similis est *inconstanti*: item *Lunæ, mari, Euripo, vento, polypo, chamæleonti, rotæ.*

Avarus

Avarus ſimilis eſt *avaro*: item *lupo, milvo, ſepulcro, inferno.*

Mortalis ſimilis eſt *mortali*: item *inquilino, viatori, gramini, flori, fumo, bullæ, umbræ, ſomnio.*

Similitudines autem quæ vocantur apud autores (quales ſunt illæ, quæ ab Eraſmo et aliis collectæ ſunt) pleræq omnes ſunt metaphoricæ ſive parabolicæ. Ex. gr.

Quaſi mures, ſemper edimus alienum cibum. Ergaſilus apud Plautum in Capteiv. de ſe & aliis paraſitis.

In referendâ gratiâ debemus imitari agros fertiles, qui multò plus afferunt, quàm acceperunt. Cic. Offic. lib. 1. Et ibid ex Ennio.

Homo, qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit:
Nihilo minùs ipſi lucet, cùm illi accenderit.

——— avidos vicinum funus ut agros
Exanimat, mortiſq; metu ſibi parcere cogit:
Sic teneros animos aliena opprobria ſæpè
Abſterrent vitiis. Horat. lib. 1. ſat. 1.

Hujuſmodi ſunt Parabolæ ſpeciatim ſic dictæ: quæ plerunque fictâ propoſitione conſtant.

Talis erat Menenii Agrippæ parabola de conſpiratione membrorum corporis adverſus ventrem. Liv. lib. 2. cap. 32.

Jothami parabola de arboribus regem ſibi

ſibi eligentibus, Judic. 9. ver. 8. &c.

Iſaiæ de Vineâ, cap. 5. Nathanis. 2 Sam. 12.

Et præcipuè Parabolæ Servatoris noſtri in Novo Teſtamento.

Huc pertinent etiam Fabulæ Æſopicæ, cæteræque ejuſdem generis.

Ut gallus gallinaceus in fabulâ præfert granum hordei omnibus gemmis: ità ſtultus præfert exiguum commodum aut voluptatem omnibus ſcientiis & virtutibus.

Ut canis in fabulâ captans umbram, amiſit carnem: ità avarus captans ea quæ imaginatur, amittit ea quæ habet.

Parabola ſive fabula ipſa eſt Protaſis ſive Propoſitio: Morale (ut vocatur) eſt Apodoſis ſive Redditio.

Omnis ſimilitudo (præſertim parabolica) conjunctam habet aliquam diſſimilitudinem. Hinc illa dicta. *Omne ſimile eſt etiam diſſimile. Nullum ſimile eſt idem. Omnis ſimilitudo claudicat. Nulla ſimilitudo currit quatuor pedibus.* 1 Cor. 14. 20.

Satis verò eſt, ſi ſimilitudo quadret in eo, ad quod arguendum adhibetur.

Similitudo rationis eſt, cùm ratio inter Comparata eadem eſt genere, ſed non gradu.

Sic ſimiliter debitor eſt, *qui centum minas debet, & qui mille*; ſed non pariter.

Similis, sed non par, ratio est *furti, & latrocinii: scortationis, adulterii, & incestûs: mendacii & perjurii: mendacii officiosi, jocosi, & pernicioſi.* Et ut verbo dicam, *omnia peccata* similiter mala & illicita sunt, sed non pariter: Quod fefellit Stoicos.

Sic similis est ratio *furis* & *receptoris*; *obtrectatoris & ejus qui aures ei patefacit*; & in genere, *ejus qui facit peccatum & ejus qui consentit, consulit, suadet, adjuvat, aut ullo modo participat*: Omnes enim similiter in culpâ sunt, licèt non omnes pariter.

Contrariorum ad contraria aliquando similis tantùm ratio est, non par. Ex. gr.

Accusare aut condemnare innocentem, & defendere aut absolvere nocentem, similiter illicita sunt, non autem pariter.

prov. 17. 15. Sirac. 11. 25. Mat. 23. 12. & 7. 18. Galat. 6. 8. Luc. 9. 24.

Sic in illo exemplo Quintiliani lib. 5. cap. 11. [*Si turpis est consuetudo domina cum servo, turpis domini cum ancillâ*] etsi non planè eadem aut par, tamen similis ratio est.

Item, *avunculum ducere neptim, & nepotem ducere amitam*, simili ratione prohibitum est, licèt posterius videatur esse magis contra naturam.

Ubicunque est paritas rationis, ibi etiam est similitudo rationis; licèt non contra. Vide igitur plura exempla cap. 16.

CAP.

CAP. XV.

De Diſſimilibus.

DIſſimilia ſunt, quorum diverſa eſt qualitas. id eſt, quæ in aliquâ re poſitivè ſive abſolutè diſſentiunt.

Itaque omnis diſſimilitudo fundatur in Diſſentaneis: Et Diſſimilia ſunt quaſi Diſſentaneorum ſubjecta.

Album & nigrum, Diſſentanea: Cygnus & Corvus, Diſſimilia.

Notæ Diſſimilium ſunt, *Diſſimilis, diſpar, differens, alius, aliter, ſecus, intereſt.*

Item negatio ſimilitudinis, *Non ſimilis, non idem, non talis, non ſic, non ut, non ſicut, non ità.*

Diſſimilitudo (ut Similitudo) eſt vel propria, vel metaphorica.

Exempla Diſſimilium.

Utriuſque generis.

Is qui fortis eſt, & is qui timidus eſt, diſſimiles ſunt. Item *Fortis* diſſimilis eſt *lepori, damæ: Timidus* diſſimilis eſt *leoni, equo generoſo.*

Is qui conſtans eſt, et *is qui inconſtans eſt,* diſſimiles ſunt. Item *Conſtans* diſſimilis eſt

Lunæ, mari, Euripo, polypo, chamæleonti, vento, rotæ: *Inconſtans* diſſimilis eſt *Soli, Terræ, lapidi quadrato.*

Diſſimilia propria.

Phædria & Thraſo Ter. Eunuch. Act. 3. ſc. 2.

Atq; hæc qui miſit, non ſibi ſoli poſtulat
Te vivere, & ſuâ cauſâ excludi cæteros;
Neq; pugnas narrat, neq; cicatrices ſuas
Oſtentat, neq; tibi obſtat: quod quidam facit.

Item *Charea & Dorus*, Act. 4. ſc. 4.

Ad nos deductus hodie, eſt adoleſcentulus,
Quem verò tu videre velles, Phædria:
Hic eſt vetus, vietus, veternoſus, ſenex,
Colore muſtellino.

Sicilienſes & cæteri Græci. Cic. in Ver. 110. *Nihil cæterorum ſimile Græcorum, nulla deſidia, nulla luxuria: contrà, ſummus labor in publicis privatiſq; rebus, ſumma parſimonia, ſumma diligentia.*

Idem fol. 228. *Verrem* comparat cum *Marcello* ut longè diſſimillimum.

Diſſimilia metaphorica ſive parabolica.

Soles occidere & redire poſſunt:
Nobis cùm ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda. Catull.

Sic Job 14. ver. 7, 8, 9, 10, 11. *Spes eſt de arbore, ſi præciſa fuerit, adhuc repullulaturam,* &c. *At homo moritur, & exciditur,*

interi

interit homo, & ubi est?

Dissimilia ficta.

Non ut gallus gallinaceus in fabulâ præfert granum hordei omnibus gemmis, sic sapiens præfert exiguum commodum aut voluptatem omnibus scientiis & virtutibus.

Undecunque peti potest Similitudo, inde etiam in re contrariâ peti potest Dissimilitudo. Ex. gr. *Avibus, quæ æstate adsunt, hyeme avolant, falsi amici* similes sunt, *veri amici* dissimiles.

CAP. XVI.

De Paribus.

COmparata in quantitate sunt Paria, vel Imparia.

Omnis comparatio in quantitate (sive paritas sive imparitas) præsupponit convenientiam in qualitate, id est, similitudinem. Neque enim propriè dici possunt duæ res aut pariter aut impariter tales, nisi ambæ sint positivè atque absolutè tales. Quæ igitur aliter sonare videntur, figuratæ locutiones sunt. De quibus vide cap. 17.

Arist. Categor. de qualitati sub finem. Ἁπλῶς δὲ, ἐὰν μὴ ἐπιδέχηται ἀμφότερα τὸ τοῦ προκειμένου λόγον, οὐ ῥηθήσεται τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου μᾶλλον.

Sedulò cavendum eſt, ne Paria cum Similibus, aut Imparia cum Diſſimilibus confundamus.

Paria ſunt, quorum eadem eſt quantitas. id eſt, quæ ſunt æquali gradu.

Notæ Parium ſunt, *Par, pariter, æquus, æquè, æqualis, æqualiter, æquare, adæquare, idem quod, tam quàm, tantus quantus, tantò quantò, eò quò, tot quot.*

Item, negationes imparium. *Non magis, non minùs, non ſuperior, non inferior, non melior, non pejor* (& ſic negatio cujuſvis vocis comparativi gradûs) *non præpono, non poſtpono, nihil refert, nihil intereſt.*

Exempla Parium.

Duo conſules Romani erant pares poteſtate.
Cives pares ſunt libertate.
Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumque turres. Horat. lib. 1. Od. 4.

Cic. in Catilin. 123. de Pompeio. *Cujus res geſtæ atq; virtutes iiſdem, quibus ſolis curſus, regionibus ac terminis continentur.*

Tam ficti praviq; tenax, quàm nuncia veri.
Quantū quiſq; ſuâ nummorum ſervat in arcâ,
Tantum habet & fidei.
Quantò doctior es, tantò te geras ſubmiſſius.

Tantò

Tantò peſſimus omnium poëta,
Quantò tu optimus omnium patronus.
Quot homines, tot ſententiæ.
Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.
Nihil refert, feceriſne an perſuaſeris.
Tanti eris aliis, quanti tibi fueris.
Æquè pauper eſt is, qui ſatis non habet, & is, cui nihil eſt ſatis. id eſt, *avarus.*

Qui aliis nocent ut in alios liberales ſint, in eâdem ſunt injuſtitiâ, ut ſi in rem ſuam aliena convertant. Cic. offic. lib. 1.

Paritas rationis eſt, cùm ratio inter Comparata eadem eſt non ſolùm genere ſed etiam gradu. Ex. gr.

Cic. in Ver. 189. b. *Quamobrem enim ſcriba deducat? ac non potiùs mulio, qui advexerit? tabellarius, cujus adventu certiores facti petiverunt? præco, qui adeſſe juſſit? viator ac Venereus, qui fiſcum ſuſtulit? Quæ pars operis aut opportunitatis in ſcriba eſt?* id eſt, *Si ſcriba deducere poteſt, tum pari ratione mulio, tabellarius, præco, viator ac Venereus: ſi hi non poſſunt, igitur pari ratione nec ſcriba poteſt.*

Virgil 6. Æneid.

Si potuit manes arceſſere cōjugis Orpheus, &c.
Si fratrem Pollux alternâ morte redemit, &c.
——— Quid Theſea magnum?
Quid memorem Alciden? & mi genus ab

Jove ſummo, id eſt, *Si Orpheus, Pollux, Theſeus, Hercules, potuerunt deſcendere ad inferos ; pari ratione & ego potero : nam et ego ſum proles Jovis aquè ac illi.*

Judic. 11. 24. 1 Cor. 9. 5, 6.

Contrariorum ad contraria plerunque par ratio eſt. Ex. gr.

Cic. pro Sylla. 172. *Si invides, quòd omnes boni omnium generum atque ordinum ſuam ſalutem cum meâ ſalute conjungant : conſolare te, quòd omnium mentes improborum mihi uni maximè ſunt infenſæ atque adverſæ.*

Idem ibid. 176. *Neque verò quid mihi iraſcare, intelligere poſſum. Si, quòd eum defendo, quem tu accuſas ; cur tibi ipſe quoq; non ſuccenſeo, qui accuſes eum, quem ego defendo ? Inimicum, inquis, accuſo meum. Et amicum ego defendo meum.*

Idem de Senect. 84. *Ut adoleſcentem, in quo ſenile aliquid ; ſic ſenem, in quo eſt adoleſcentis aliquid, laudamus.*

Idem de Amicit. 102. *Si utilitas amicitias conglutinaret ; eadem commutata diſſolveret.*

Boët. de conſol. lib. 3. *Quem felicitas amicum fecit, infortunium faciet inimicum.*

Quintil. lib. 1. cap. 6. *Ut novorum verborum optima erunt maximè vetera, ita veterum*

terum maximè nova.

Demea Terent. *Quando ego non curo tuum, ne cura meum.*

Cic. in Ver. 98. *Si finem edicto prætoris adferunt calendæ Januarii, cur non initium quoque edicti nascitur à calendis Januarii? An in eum annum nemo progredi poterit edicto, quo prætor alius futurus est; in illum, quo prætor alius fuit, regredietur?*

Cic. offic. 64. *Negant sapientis esse pluris emere quàm potuisset; ut si minoris, quàm potuisset, vendidisset.*

Ficta paria. Hor. lib. 2. Sat. 3.

Si quis lecticâ nitidam gestare amet agnam, &c.

——interdicto huic omne adimat jus
Prætor, & ad sanos abeat tutela propinquos.
Quid? si quis gnatam pro mutâ devovet agnâ,
Integer est animi? ——id est,

Si quis tractaret agnam ut gnatam, insanus esset: Ergo pari ratione Agamemnon insanus erat, qui tractaret gnatam ut agnam, immolando eam.

CAP.

CAP. XVII.

De Imparibus.

IMparia ſunt, quorum diverſa eſt quantitas. id eſt, quæ differunt gradu.

Imparia ſunt, Majus & Minus.

Majus eſt, cujus quantitas excedit.

Minus eſt, cujus quantitas exceditur.

Quod unâ ratione majus eſt, id aliâ ratione minus eſt. ut, quod magis eſt difficile, aut admirabile, minùs eſt probabile: quod minùs malum, magis eligendum aut tolerandum: & contrà.

Notæ Imparium ſunt, *Magis*, *minùs*, *impar*, *inæqualis*, *potiùs*, *inſuper*, *imprimis*, *maxime*.

Item omnes voces comparativi & ſuperlativi gradûs. ut, *doctior*, *doctiſſimus*.

Item voces, quæ iis æquipollent. ut, *præſto*, *anteſto*, *excello*, *ſupero*, *malo*, *præfero*, *antefero*, *præpono*, *antepono*.

Item earum contrariæ. ut, *cedo*, *concedo*, *poſtpono*, *poſthabeo*.

Item, *Non ſolùm ſed etiam*, *non ſolùm ſed ne*, *nedum*, *tantùm abeſt ut*, *adeo non ut ne*.

Item

Item Negationes parium. ut, *Non par, non æquus, non æqualis, non comparandus, non conferendus, non tot quot, non tantum quantum, non tam quàm.*

Exempla Imparium.

Lunæ ſplendor minor eſt, quàm *ſolis*; major quàm *ſtellarum.*

Stellæ etiam inter ſe impares ſunt tum magnitudine tum ſplendore.

Virgilius poëtarum doctiſſimus.

Malo dives eſſe, quàm haberi.

Poſtpono famæ pecuniam.

Amplectitur cùm eruditos omnes, tum imprimis Marcellum.

Cic. in Catilin. 97. *Vivit? imò verò etiam in ſenatum venit, fit publici conſilii particeps, notat & deſignat oculis ad cædem unumquemque noſtrûm.*

Idem pro Marcello. 135. *Tantùm abes à perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quæ cogitas, nondum jeceris.*

Idem pro Plancio. 278. *Si vitæ cupiditas contra rempublicam turpis eſt; certè multò magis mortis cupiditas mea turpior fuiſſet cum pernicie civitatis.*

Davus Terent: Phorm. *Cujus tu fidem in pecuniâ perſpexeris, vereris ei verba credere?*

Ut

Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones:
Ut teipsum serves, non expergiscéris?
Hor. lib. 1. ep. 2.

Cic. pro Rabirio. 92. b. *Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit: hic misericors flagella retulit. Porcia lex libertatem civium lictori eripuit: Labienus, homo popularis, carnifici tradidit.*

Sic à Majore arguitur 2 Reg. 5. 13. & 10. 4. 2 Sam. 16. 11. Job 4. 18, 19. & 15. 15. & 25. 5, 6. Jer. 25. 19. Ezech. 15. 5. Mat. 9. 5, 6. Luc. 23. 31. 1 Cor. 6. 2, 3. Gal. 2. 14. 1 Pet. 4. 17, 18.

A Minore Gen. 48. 11. Exod. 6. 12. 2 Sam. 4. 10, 11. & 12. 8. Jer. 12. 5. Lamen. 1. 10. Jonæ 4. 10, 11. Mat. 6. 26, 28, 29, 30. & 12. 5, 6, 11, 12. Luc. 11. 13. & 13. 15, 16. & 14. 5. Joh. 3. 12. 2 Cor. 3. 7, 8, 9, 11. 1 Tim. 3. 5. Heb. 2. 2, 3. & 12. 25. Malac. 1. 8.

Aliquando plura Imparia simul complicantur, & fortius fit argumentum. Ex. gr.

Cic. lib. 7. ep. 3. fol. 97. *Nec putavi cùm integri pares non fuissemus, fractos superiores fore.*

Idem in Verr. 223. *Eóne tu servos ad spoliandum templum immittere ausus es, quò liberos adire, ne orandi quidem causâ fas erat?*

Nau-

Nausistrata Terent. Phorm. *Adeone indignum tibi videtur, filius, homo adolescens, unam si habet amicam, tu uxores duas?*

Sic Luc. 7. 44, 45, 46. & 13. 15, 16. 2 Cor. 11. 14, 15. Iudæ vers. 9.

Imparia ficta. Cic pro S. Roscio. 30. *Si hunc apud bonorum emptores ipsos accusares, eiq; iudicio Chrysogonus præesset, tamen diligentiùs paratiusq; venisses.* S. Ergo multò magis apud hos judices & hunc quæsitorem.

Et ibid. fol. 37. *Si hanc ei rem privatim S. Roscius mandavisset, &c. Nunc non hanc ei rem S. Roscius mandavit, sed (id quod multò gravius est) ipse S. Roscius cum famâ, vitâ, bonisq; omnibus à decurionibus publicè Roscio mandatus est.*

Idem in Ver. 186. *Si mehercule te tuam pecuniam, non populi Romani, in provinciâ fœneratum docerem, tamen effugere non posses: sed publicam, sed ob frumentum decretam, sed à publicanis fœnore accepto, hoc licuisse cuiquam probabis?*

Idem Philip. 172. *Si inter cœnam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In cœtu verò populi Romani, negotium publicum gerens, magister equitum, cui vel ructare turpe esset, is vomens fruſtis esculentis vinum redolentibus gremium*

gremium ſuum, & totum tribunal implevit. Sic Ruth 1. 11, 12, 13. 2 Sam. 18. 12. 1 Reg. 13. 8.

Figuratæ quædam locutiones hîc notandæ ſunt.

1. Comparativum accipitur pro contrario poſitivi cum [minùs.]

Curtius. *Mare Caſpium dulcius eſt cæteris.* id eſt, minùs amarum.

Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum. id eſt, minùs pretioſum.

Prov. 26. 12. *Spes eſt de ſtulto magis quàm de eo.* id eſt, minùs de eo quàm de ſtulto: vel minùs deſperandum eſt de ſtulto, quàm de eo. *vel, magis de eo quam de ſtulto.*

Jer. 3. 11. *Juſtificauit ſe magis.* id eſt, minùs in culpâ eſt. Sic Ezech. 16. 52.

Sic, *melius*, pro *minùs malo*: Exod. 14. 12. Prov. 21. 9, 19. Lament. 4. 9. 1 Cor. 9. 15 *Luc. 17. 2. Mat. 18. 6, 9.*

Deterius, pro *minùs bono*, Joh. 2. 10.

2. Aliquando Comparativum ponitur pro Negativo.

Cic. lib. 6. ep. 6. fol. 83. *Iniquiſſimam pacem juſtiſſimo bello antefero.* id eſt, *Volo pacem licèt iniquiſſimam: nolo bellum, licèt juſtiſſimum.*

1 Tim. 1. 4. *quæſtiones magis quàm ædificationem.* id eſt, *quæſtiones, non ædificationem.*

Sic

Sic Prov. 25. 7. Eccl. 5. 1. Luc. 18. 14. 1 Cor. 7. 9. Mat. 10. 5, 6.

3. Aliquando contrà, Negativum ponitur pro Comparativo.

Hoſ. 6. 6. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.*

Ioel 2. 13. *Scindite corda veſtra, et non veſtimenta.* id eſt, *corda potiùs quàm veſtimenta.*

Vide Prov. 8. 10. Joh. 6. 27. Luc. 10. 20 & 14. 12, 13. 1 Cor. 1. 17. & 9. 9. 1 Pet. 2. 20. & 3. 3, 4.

4. Negativum ponitur pro Contrario cum minùs, Mat. 5. 29, 30. *Expedit tibi ut pereat unum membrum, et non ut totum corpus* &c. id eſt, *minùs malum eſt.* Sic. Prov. 17. 12.

CAP. XVIII.

De Conjugatis.

COnjugata ſunt voces ab eodem principio variè deductæ.

Exempla

Exempla Conjugatorum.

Scribere, ſcriptio, ſcriptura, ſcriptum, ſcriptor, ſcriptorius, ſcriba.

Sapere, ſapientia, ſapiens, ſapienter.

Libertas, liber, liberè, liberare, liberatio, liberator.

Chremes Terent. *Homo ſum, humani nihil alienum à me puto.*

Cic. pro Flacco. 157. *Deſinant putare autoritatem eſſe in eo teſtimonio, cujus autor inventus eſt nemo.*

Idem Paradox. 119. *Si bene facta rectè facta ſunt, et nihil recto rectius: certè nec quicquam inveniri poteſt melius bono.*

Ariſt. Eth. lib. 8. cap. 9. Κοινὰ τὰ φίλων. ἐν κοινωνίᾳ γὰρ ἡ φιλία.

Iac. 4. 4. *Amicitia hujus mundi inimicitia eſt apud Deum: quicunq; ergo voluerit amicus eſſe mundi, inimicus Dei conſtituitur.*

1 Joh. 3. 7. *Qui facit juſtitiam, juſtus eſt.*

CAP.

CAP. XIX.

De Nomine & Notatione.

NOtatio est nominis derivatio. Aliàs *Etymologia* dicitur.

Exempla Nominis & Notationis.

Vesta, quia *vi stat suâ*. Ovid. *6.* Fast.
Fides, quia *fit quod dictum* est. Cic. 1. Off. 5.
Cadaver, à *cadendo*.
Æquor, ab *æquo*.
Noctua, quia *noctu* volat.
Lucus, à *non lucendo*.
Ludus, (literarius) *à non ludendo*.
Pyropus, quod similis *igni* sit.
Homo, ab *humo*.
Animal, ab *animâ*.
Focus, à *fovendo*.

CAP. XX.

De Toto & Partibus, deque Distributione. Et primò de Integro & Membris, deq; Partitione.

TOtum est, quod continet Partes.

Pars est, quæ continetur à Toto.

Distributio est Totius in Partes distinctio.

Partes referuntur ad Totum vel seorsim & extra Distributionem, vel conjunctim & in Distributione: Et utroque modo Totum arguit Partes, & ab iis vicissim arguitur.

Partes sunt Toti consentaneæ, inter se autem dissentaneæ.

Partes simul sumptæ reciprocantur cum Toto, adeoque Distributio cum Distributo.

Totum & Pars sunt, vel Integrum & Membrum, vel Genus & Species.

Integrum & Membrum communibus ferè nominibus appellantur Totum & Pars: Genus autem & Species propriis suis nominibus

minibus appellantur, adeoq; contradiſtinguuntur Toti & Parti.

Diſtributio eſt vel Partitio vel Diviſio. Ad hæc enim duo capita reducuntur omnes Diſtributiones, ſive ex Cauſis, ſive ex Effectis, ſive ex Subjectis, ſive ex Adjunctis, ſive ex quibuſcunque aliis locis petitæ ſint. Et hæc etiam nomina ſæpe confunduntur.

Integrum eſt Totum conſtitutum à ſuis Partibus. Aliàs dicitur *Totum integrale*: item *Totum actuale*, vel *Totum ex partibus*.

Membrum eſt Pars Integri.

Partitio eſt Diſtributio Integri in Membra.

Exempla Integri & Membri extra Diſtributionem.

Arbor & Radix. Corpus humanum & Caput. Domus & Fundamentum. Mundus & Cœlum. Logica & Inventio. Terra & Europa. Oratio & Exordium.

Exempla Partitionis ſive Diſtributionis Integri in Membra.

Arbor. *Radix, Truncus, & Rami.*
Corpus humanum. *Caput, Truncus, & Artus.*

Domus. *Fundamentum*, *Parietes*, & *Tectum.*
Mundus. *Cœlum & Inferiora.*
Logica. *Inventio & Judicium.*
Terra. *Europa*, *Asia*, *Africa*, *America.*
Oratio. *Exordium*, *Narratio*, *Confirmatio*, *Confutatio*, *Peroratio.*

Sic quilibet liber, ſermo, tractatus, epiſtola, poëma, hiſtoria, &c. in ſuas Partes ſive Membra diſtribui poteſt.

Huc referuntur Totum eſſentiale (id eſt Compoſitum) & Partes eſſentiales (Materia & Forma) ex quibus componitur. Sic *Homo* eſt Totum, *Anima & Corpus* Partes.

Integrum & Membra ſunt vel Proxima ſive immediata, vel Remota ſive mediata. Sic Corporis humani partes proximæ, in quas immediatè diſtribuitur, ſunt, *Caput truncus, & artus:* Remotæ, & in quas mediatè diſtribuitur, ſunt harum partium particulæ, ut, *Oculus, auris, pectus, dorſum, manus, digitus.*

CAP.

CAP. XXI.

De Genere & Speciebus, deque Diviſione.

GEnus eſt Totum concurrens ad conſtitutionem ſuarum Partium, ſive Specierum. Aliàs dicitur *Totum univerſale*; item *Totum potentiale*, vel *Totum in partibus*.

Species eſt pars Generis.

Diviſio eſt Diſtributio Generis in Species.

Exempla Generis & Speciei extra Diſtributionem.

Subſtantia & Corpus. Animal & Homo. Quantitas & Magnitudo. Stella & Planeta. Arbor & Quercus. Beſtia & Leo. Avis & Paſſer. Piſcis & Oſtrea. Flos & Roſa. Color & Albedo. Senſus & Viſus. Figura & Triangulum. Virtus & Juſtitia. Habitus & Virtus. Cauſa & Efficiens. Diſſentanea & Diverſa.

Exempla Diviſionis, ſive Diſtributionis Generis in *S*pecies.

Subſtantia eſt *Corpus vel Spiritus.*
Animal eſt *Homo vel Brutum.*
Quantitas eſt *Magnitudo vel Numerus.*
Cauſa eſt *Efficiens, Materia, Forma, vel Finis.*
Diſſentanea ſunt *Diverſa vel Oppoſita.*

Diſtributio Generis in Formas (ſive eſſentiales Differentias) Specierum, eadem eſt cum Diſtributione in Species: quia Forma ſive Differentia eſſentialis cum Genere conſtituit Speciem. Ex. gr.

Subſtantia eſt Corporea vel Incorporea.
Animal eſt Rationale vel Irrationale.
Quantitas eſt Continua vel Diſcreta.
Cauſa eſt A qua, vel Ex quâ, vel Per quam, vel Propter quam.
Diſſentanea vel ratione tantùm, vel ratione & re diſſentiunt.

Diſtinctio cujuſvis generalis in ſua ſpecialia per quaſcunque etiam accidentales differentias, eſt quaſi Diviſio Generis in Species, eundémque locum in arguendo obtinet. Talis eſt diſtinctio *Hominum*, ratione Sexûs, in *Mares & fœminas*; ratione ætatis, in *Juvenes & ſenes*; ratione aliorum

aliorum accidentium, in *bonos & malos, doctos & indoctos, ſanos & ægros, divites & pauperes, nobiles & ignobiles, magiſtratus & ſubditos, ſervos et liberos, &c.*

Genus eſt generaliſſimum, vel ſubalternum.

Species eſt ſubalterna, vel ſpecialiſſima.

Genus generaliſſimum (ſive ſummum) eſt, quod non habet aliud Genus ſupra ſe, adeóque ſemper Genus eſt, & nunquam fit Species.

Genus ſubalternum eſt, quod habet aliud Genus ſupra ſe, adeoq; reſpectu ejus fit Species.

Species ſubalterna eſt, quæ habet alias Species infra ſe, quarum reſpectu fit Genus.

Species ſpecialiſſima (ima, ſive infima) eſt, quæ non habet alias Species infra ſe, adeoq; ſemper Species eſt, & nunquam fit Genus.

Quæ ſub Specie ſpecialiſſimâ continentur, vocantur *Individua* ſive *Singularia*.

Exempla horum omnium videre eſt in Prædicamento ſive ſerie Subſtantiæ.



Hîc, *Substantia* est Genus generalissimum: *Corpus*, *Mixtum*, *Animatum*, *Animal*, sunt Genera subalterna, & Species subalternæ: *Homo* Species specialissima: *Socrates*, *Plato*, *hic & ille Homo*, sunt Individua sive singularia.

Hinc apparet, Genus subalternum & Speciem subalternam solâ ratione differre. Quod enim ratione inferiorum Genus est subalternum, idem ratione superioris est Species subalterna.

Species autem specialissima etiamsi, ut dictum est, nunquam fiat Genus, tamen respectu Individuorum sive Singularium est quasi Genus; & Individua sive singularia ad suam Speciem relata, sunt quasi Species, eundemque locum in arguendo obtinent.

Genus

Genus & Species ſunt etiam vel proxima, vel remota. Sic in dictâ ſerie Subſtantiarum, *Hominis* proximum Genus eſt *Animal*: remota Genera ſunt, *Animatum*, *Mixtum*, *Corpus*, *Subſtantia*. Contrà, *Subſtantiæ* Species proximæ ſunt, *Spiritus & Corpus*: remotæ, *Simplex & Mixtum*, *Inanime & Animatum*, *Planta & Animal*, *Brutum & Homo*.

Ex hoc Loco oriuntur variæ rationes Identitatis & Diverſitatis. viz. Duo poſſunt eſſe idem tripliciter, Genere, Specie, vel Numero. *Ariſt. Topic. lib. 1. cap. 6.*

Idem genere ſunt, quæ ſub eodem genere continentur. ut *Homo & Brutum*.

Idem ſpecie ſunt ejuſdem ſpeciei individua; ut *Socrates & Plato*.

Idem numero ſunt, quæ una eademq; res ſingularis ſunt. *Philippus, & Alexandri pater. Plato & Præceptor Ariſtotelis. Idem homo, infans, puer, vir, ſenex. Idem corpus moriens & reſurgens.*

Hinc etiam intelligitur quæ ſint Diverſa Genere, Specie, & Numero.

CAP.

CAP. XXII.

De Definitione & Definito.

DEfinitio est, quâ explicatur quid res sit.

Definitum est, quod definitione explicatur.

Definitio & Definitum sunt reciproca.

Partes Definitionis, si integra sit, sunt Genus & Differentia.

Genus aliquando subintelligitur.

Differentia essentialis & propriè dicta petitur ex Formâ, hoc est, ex eo, quod maximè essentiale est Definito: Accidentalis & impropriè dicta petitur ex aliis Argumentis.

Hinc Definitio ipsa est vel Essentialis, vel Accidentalis.

Essentialis definitio est, quæ constat ex Genere et Differentiâ propriè dictâ, hoc est, ex Genere & Formâ tantum. Et hæc propriè dicitur *Definitio.*

Accidentalis definitio est, quæ ex aliis Argumentis rem describit. Hæc dicitur *Descriptio.*

Exempla

Exempla Definiti et Definitionis essentialis.

Homo. *Animal rationale.* Προαίρεσις. Ἐκούσιον προβεβουλευμένον. Aristot. Eth. lib. 3. cap. 2.
Dialectica. *Ars bene disserendi.*
Efficiens. *Causa, à qua res est.*
Magnitudo. *Quantitas continua.*
Numerus. *Quantitas discreta.*
Dies naturalis. *Spatium 24 horarum.*
Virtus moralis. *Habitus electivus consistens in mediocritate.*

Genere subintellecto.

Causa. *Cujus vi res est.*
Causatum. *Quod vi causæ existit.*
Pater. *Qui habet filium.*
Filius. *Qui habet patrem.*

Exempla Descripti et Descriptionis.

Homo. *Animal capax disciplinæ.*

Ex Genere & Adjuncto.

Amicitia. *Mutua & manifesta inter homines benevolentia, vel virtutis, vel voluptatis, vel utilitatis causâ susceptа, ejus ipsius gratiâ qui amatur.*

Ex Genere, Subjecto, Adjunctis, Causis efficientibus, et Fine cui.

CAP.

CAP. XXIII.

De Teſtimonio & Teſtato.

TEſtimonium eſt Argumentum extrinſecus aſſumptum ad aliquid teſtandum.

Teſtatum eſt id, cui Teſtimonium perhibetur.

Tota vis Teſtimonii pendet ex autoritate Teſtis.

Teſti autoritatem conciliant tria: Scientia, Virtus, Benevolentia.

Teſtimonium eſt Divinum, vel Humanum.

Divinum Teſtimonium eſt, quod à Deo perhibetur.

Eſtque 1. Orationis vel Rerum.

2. Immediatum vel Mediatum.

Humanum Teſtimonium eſt quod ab Homine perhibetur.

Eſtque vel Commune, vel Proprium.

Commune eſt plurium hominum ſimul. ut, Fama vulgi, Senſus communis, Opinio communis, Jus ſcriptum, et non ſcriptum, Proverbia.

Proprium, eſt ſingularis hominis ſeorſim. ut, Teſtimonia perhibita tum in judiciis, tum extra judicia.

Huc

Huc pertinent 1. Obligatio. Ad quam refertur Pignus.

2. Confeſſio tum libera, tum expreſſa tormentis. Ad hanc refertur Provocatio ad experientiam.

3. Jusjurandum.

4. Denique omnia dicta et ſcripta autorum, ſive vivorum, ſive mortuorum: ut philoſophorum, hiſtoricorum, oratorum, poëtarum, artificum, *&c.*

Liber

Hîc Appendicis loco addi brevem tractatum de Prædicamentis & prædicabilibus: Quamvis illa potius ad Metaphyſicam pertineant, tanquam ſumma genera Entis; De his jam tractatum ſit ſuis locis, vz De Genere & Specie cap. 21. De Differentiâ cap. 5, & 9. De proprio & Accidente cap. 7. & 9.

Liber ſecundus.

De Judicio, ſive Diſpoſitione.

CAP. I.

De Judicio ſive Diſpoſitione in genere, deque Crypſi.

JUdicium, ſive Diſpoſitio, eſt ſecunda pars Dialecticæ de diſponendis argumentis ad bene judicandum.

Huic accidit Crypſis: quæ eſt naturalis diſpoſitionis occultatio.

Crypſis triplex eſt: in exceſſu, in defectu, et in inverſione.

Ut autem vera et naturalis diſpoſitio appareat: quæ ſuperſunt, amputanda; quæ deſunt, ſupplenda; quæ denique inverſa ſunt, in ſuos quæq; locos reſtituenda ſunt.

CAP.

CAP. II.

De Propositione in genere, deque generalibus ejus tum principiis tum affectionibus.

Dispositio triplex est: Propositio, Argumentatio sive Syllogismus, et Methodus.

Propositio est dispositio argumenti cum argumento, quâ esse aliquid vel non esse judicatur. Aliàs dicitur *Enunciatio*, *Enunciatum*, *Pronunciatio*, *Pronunciatum*, *Effatum*, *Axioma*.

Orationes interrogativæ, imperativæ, permissivæ, optativæ, & etsi formaliter propositiones nō sunt, vim tamen propositionum plerunq; obtinent, & ad eas reducuntur.

In omni propositione duo consideranda sunt tanquam principia ejus essentialia: viz. 1. Partes, tanquam materiale. 2. Vinculum, tanquam formale.

Generales affectiones omnium propositionum tres sunt: 1. Qualitas ex voce. 2. Qualitas ex re. 3. Qualitas ex modo.

1. Qualitas ex voce est Affirmatio vel Negatio. Unde Contradictio.

Affirmata propositio est, cujus vinculum affirmatur.

Negata est, cujus vinculum negatur.

Not. Affirmatio aliquando sumitur pro Assertione sive positione; Negatio pro Contradictione. Et sic Affirmatio propositionis negatæ, est Negatio, & Negatio est Affirmatio. Ex. gr. An nullum animal sit rationale? Negatur. (i. e. rejicitur) An aliquod animal non sit rationale? Affirmatur. i. e. Ponitur, statuitur, tenetur, asseritur, defenditur.

Consen-

Consentanea enunciantur affirmando: Dissentanea negando.

Contradictio est, quando eadem propositio affirmatur & negatur.

Cuivis propositioni contradici potest præponendo negationem toti, vel tollendo præpositam.

Interrogatio sæpe æquivalet contradictioni, ut Jer. 23. 23, 24. & 26. 19. Ezech. 18. 23. Mar. 2. 19. Luc. 13. 2, 3, 4, 5. 1 Cor. 9. 1, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13. Amos 3. 3, 4, 5, 6, 8.

Accuratè distinguendum est inter negationem vinculi (adeoque totius propositionis) & negationem alicujus partis: atq; ità, inter contradictionem topicam & axiomaticam.

2. Qualitas ex re est Veritas vel Falsitas.

Vera propositio est, quæ pronunciat ut res est.

Falsa est, quæ pronunciat aliter ac res est.

Si propositio minus dicat, quàm verè dicere potest: significationem habet falsi, aut ridicula est. Ex. gr. *Aliquis homo est animal. Aliquis ignis non est frigidus. Possibile (vel, probabile) est id, quod sentit, vivere. Et sol ortus est, & dies est. Quanquam grave est, tamen tendit deorsum.*

Aut terra aut aqua est frigida.

3. Qualitas ex modo est Necessitas, Impossibilitas, vel Contingentia sive possibilitas.

Homo est animal.
Homo non est brutum.

Necessaria propositio est, quæ ità vera est, ut falsa esse non possit.

Homo est brutum;
Homo non est animal.

Impossibilis est, quæ ità falsa est, ut vera esse non possit.

Animal est homo.
Animal nō est homo.

Contingens sive possibilis est, quæ vel ità vera est ut falsa esse possit, vel ità falsa est ut vera esse possit.

Contradictoriarum propositionum una fit	Affirmata	altera erit	Negata.
	Negata		Affirmata.
	Vera		Falsa.
	Falsa		Vera.
	Necessaria		Impossibilis.
	Impossibilis		Necessaria.
	Contingēs		Contingens.

CAP.

CAP. III.

De propositione simplice sive categoricâ.

PRopositio est vel Simplex sive categorica, vel Composita sive hypothetica.

Simplex sive categorica propositio est, cujus partes sunt termini simplices, vinculum autem verbum.

Itaque verbo affirmato affirmatur, negato negatur. ut, *Homo est animal. Homo non est animal.*

Quoad sensum autem hîc idem valet negatio prædicati atque negatio vinculi. ut, *Homo est non brutum*, idem est quod, *Homo non est brutum.*

Hujus usum vide pagina 99. lin. 23 ubi marginal. Et pa. 121. lin. 10.

Categorica propositio si absque modo adjecto enuncietur, *Pura*; si cum modo, *Modalis* appellatur.

Partes propositionis categoricæ sunt Subjectum & Prædicatum.

Subjectum est, quod antecedit vinculum. vel, id de quo aliquid dicitur. Aliàs *Antecedens.*

Prædicatum est, quod sequitur vinculum

lum. seu, id quod de aliquo dicitur. Aliàs *Consequens.*

Vinculum est verbum conjungens Subjectum & Prædicatum. Aliàs *Copula.*

Ex. gr. *Homo est animal. Homo*, est Subjectum sive Antecedens: *Animal*, Prædicatum sive Consequens: *Est*, Vinculum sive Copula.

Vinculum propriè dictum, est solummodo verbum *Sum* tertii (ut vocant) adjecti; hoc est, nihil aliud significans, nisi meram partium connexionem. Reliqua omnia verba appellantur *Adjectiva*; quia continent verbum *Sum* & aliquid præterea adjectum, id est, Prædicatum aut partem ejus. Sic et ipsum verbum *Sum*, si aliquid significat præter meram partium connexionem.

Hinc propositio est Explicita, vel Implicita.

Vide pa. 78. lin. 18.

Explicita est, cujus vinculum est propriè dictum, id est, verbum *Sum* separatum à partibus. ut in exemplo dato.

Implicita est, cujus vinculum est verbum adjectivum, adeoque implicitum cum prædicato aut parte ejus. ut, *Homo vivit. Pater diligit filium. Juvenis erit senex. Senex fuit juvenis. Providentia est. Fatum non est.*

Aliquando etiam Subjectum simul implicatur.

plicatur. ut, *Pluit. Pugnatur. Pœnitet me.*

Quævis propoſitio implicita explicari poteſt, ſolvendo verbum adjectivum in verbum ſubſtantivum & participium vel relativum. ut *Homo eſt vivens. Pater eſt diligens filium. Iuvenis eſt futurus ſenex. Senex eſt is qui fuit juvenis. Providentia eſt exiſtens. Fatum non eſt exiſtens. Pluvia eſt pluens. Pugna eſt pugnata. Pœnitentia eſt mihi.*

Propoſitioni categoricæ peculiariter accidit Quantitas: Ex qua eſt Univerſalis, Particularis, Indefinita, vel Singularis.

Univerſalis propoſitio eſt, cui præponitur ſignum univerſale; id eſt, *Omnis*, vel *Nullus*. ut, *Omnis planta vivit. Nullus lapis vivit.* *Signum Omnis debet accipi diſtributive, non collective.

Particularis eſt, cui præponitur ſignum particulare; id eſt, *Aliquis*, *Quidam*. ut, *Aliquod vivens ſentit. Aliquod vivens non ſentit.* Sic, Multi, plurimi, pleriq; fere omnes.

Indefinita eſt, quando ſubjectum eſt commune, & nullum ſignum ei præponitur. ut, *Juſtitia eſt virtus. Affectus non ſunt vitia.*

Accipitur Indefinita nunc univerſaliter, nunc particulariter, pro ratione materiæ & intentione loquentis.

Singularis est cujus subjectum est singulare. ut, *Socrates est doctus. Socrates non est doctus.*

Universalis affirmatæ	Signum est	*Omnis.*	Nota	A.
Universalis negatæ		*Nullus.*		E.
Particularis affirmatæ		*Aliquis.*		I.
Particularis negatæ		*Aliquis non.*		O.

Asserit A. negat E. verum generaliter ambo.
Asserit I. negat O. sed particulariter ambo.

Crypses propositionis categoricæ.

Aliquando deest vinculum. ut, *Homo homini lupus.* ~~1 Tim. 6. 16. Joh. 1. 1. Rom. 13. 10. Mat. 12. 8. Galat. 3. 10, 13.~~ 1 Cor. 10. 4. & 11. 3

Aliquando partes invertuntur. ut, *Fundamentum justitiæ est fides.* 1 Tim. 6. 6, 10. Mat. 12. 8. Joh. 1. 1.
Dos est magna parentum virtus. Hor. lib. 3. Od. 24.

Aliquando utrumque fit. ut, *Dulce bellum inexpertis.* Rom. 13. 10. Mat. 10. 36. Gal. 3. 10, 13. Heb. 6. 16. & 1. 8. 1 Cor. 15. 56. Phil. 3. 19.

Hoc sæpe fit in Proverbiis Solomonis: unde oritur aliquando obscuritas aut ambiguitas sensus.

Prov. 10. Vulg. Lat. eadem verba aliter interpretatur Vs. 6. aliter Vs. 11.
Prov. 21. 17. LXX non recte, Ἀνὴρ εὐδεὴς ἀγαπᾷ εὐφροσύνην. Cum sensus sit, Qui diligit lætitiam erit vir pauper.
Vide Prov. 12. 17. & 15. 27. & 17. 14, 19, 29. & 18. 17. & 20. 27, 29. & 21. 17.
Num. 23. 19. Sirac. 9. 10. & 21. 9. & 34. 22.

CAP.

Nobilitas sola est atque unica virtus. Juvenal. sat.

CAP. IV.

De Suppositione.

Hoc caput fundamentum est Capitis 7. De Conversione.

Suppositio est quantitatis partium in propositione categoricâ acceptio.

Hujus Regulæ duæ sunt, pro duabus partibus propositionis.

1. Subjectum semper est ejusdem quantitatis cum totâ propositione. id est, accipitur in Universali universaliter, in Particulari particulariter, in Indefinitâ indefinitè, in Singulari singulariter.

2. Prædicatum, si commune sit, accipitur in omni Affirmatâ particulariter, Negatâ universaliter: si singulare sit, in utrâque accipitur singulariter.

Si quando prædicatum in Affirmatâ accipitur universaliter, id fit ex vi terminorum, non ex naturâ propositionis. ut, *Animal sentit. Homo est risibilis. Homo est animal rationale.* pag. 79. 11. & 89. 7.

Verficuli.

A. prius extremum reddit generale, sed alt'rum
Particulare facit. Generale E. reddit utrumque.

Particulariter I. quicquid sibi sumit, habebit.

Particulare prius facit O. generale secundum.

Pro solo ac certo Discretum sumitur uno.

Hinc facilè judicatur de veritate & falsitate cujusvis propositionis categoricæ.

Hinc etiam apparet, majorem esse vim in Universali, quàm in Particulari, rationi subjecti & in Negatâ quàm in Affirmatâ, rationi Prædicati

---

CAP. V.

De Relatione propositionum categoricarum ad invicem.

PRopositiones categoricæ quadrifariam ad invicem referuntur: nimirum, ut Contrariæ, Subcontrariæ, Contradictoriæ, & Subalternæ.

Contrariæ sunt duæ universales, altera affirmata, altera negata. ut, *Omne animal est rationale*: *Nullum animal est rationale.*

Subcontrariæ sunt duæ particulares, altera affirmata, altera negata. ut, *Aliquod animal*

Ex. gr. Omnis homo est animal. i. e. Omnis homo est aliquod animal.
Nullus homo est brutum. i. e. Omnis homo est nullum brutum.
Aliquod album est dulce. i. e. Aliquod album est aliquod dulce.
Aliquod album non est dulce. i. e. Aliquod album est nullum dulce.
Socrates est philosophus. i. e. Socrates est aliquis philosophus.
Socrates non est rex. i. e. Socrates est nullus rex.

animal eſt rationale: Aliquod animal non eſt rationale.

Contradictoriæ ſunt univerſalis & particularis, altera affirmata, altera negata. ut, *Omne animal eſt rationale: Aliquod animal non eſt rationale.* Item, *Nullum animal eſt rationale: Aliquod animal eſt rationale.*

Vel duæ ſingulares, altera affirmata, altera negata. ut, *Hoc animal eſt rationale: Hoc animal non eſt rationale.*

Subalternæ ſunt univerſalis & particularis, pariter affirmatæ vel pariter negatæ. ut, *Omne animal eſt rationale: Aliquod animal eſt rationale.* Item, *Nullum animal eſt rationale: Aliquod animal non eſt rationale.*



Ex his omnibus maximè notandæ ſunt Contradictoriæ.

Leges

Leges ſingularum.

Contrariæ poſſunt eſſe ſimul falſæ, ſed non poſſunt eſſe ſimul veræ. Ergo, Si una earum vera ſit, altera erit falſa: Non contrá.

Subcontrariæ poſſunt eſſe ſimul veræ, ſed non poſſunt eſſe ſimul falſæ. Ergo, Si una earum falſa ſit, altera erit vera: Non contrá.

Contradictoriæ (ut in genere dictum eſt Cap. 2.) non poſſunt eſſe vel ſimul veræ, vel ſimul falſæ. Ergo, Si una vera ſit, altera erit falſa: ſi una falſa ſit, altera erit vera.

Subalternæ poſſunt eſſe vel ſimul veræ, vel ſimul falſæ. In veritate autem Particularis ſequitur univerſalem, non contrà: in falſitate Univerſalis ſequitur Particularem, non contrá. id eſt, Si univerſalis vera ſit, vera erit particularis; non contrà: Si particularis falſa ſit, falſa erit univerſalis; non contrá.

Verſiculi.

Sunt Contraria A. E. ſunt Subcontrariáque I. O.

A. O. ſunt ſibimet Contradictoria, & E. I.

A. E. falſa quèunt, non vera quèunt ſimul eſſe. Suntque
I. O. Vera quèunt, non falſa quèunt ſimul eſſe.
Vera aut falſa quèunt, ut A. O. ut E. I. ſimul eſſe.
Vera aut falſa quèunt, vel A. I. vel E. O. ſimul eſſe.

Suntque Subalternatim A. Iq; E. Oq; relata.

Præcipuè tibi ſint Contradictoria nota.

CAP. VI.

De Æquipollentiâ propoſitionum categoricarum.

ÆQuipollentia eſt duarum propoſitionum verbis differentium eadem ſignificatio.

Hæc ad rectè judicandum plurimum conducit: quandoquidem omnis propoſitio eadem planè eſt cum eâ, cui æquipollet; & quæ uni ~~eartum~~ æquipollentium contradicit, etiam alteri contradicit.

Propoſitiones categoricæ fiunt ſibi invicem æquipollentes per variam appoſitionem particulæ negativæ.

Verſiculus.

Præ contradict. Poſt contrà, præ poſtq; ſubalter.

1. Præ contradict. id eſt,

Negatio præpoſita cuivis ſigno, facit propo-

propositionem æquipollere suæ contradictoriæ. ut,

Non omnis: —— *Aliquis non.*
Non nullus: —— *Aliquis.*
Non aliquis: —— *Nullus.*

Non omnis dives est avarus: id est, *Aliquis dives non est avarus.* Sic Matth. 7. 21. & 19. 11. Deut. 12. 13. Genes. 6. 3. Psal. 103. 9. Sirac. 5. 9. Rom. 9. 6. 1 Cor. 8. 7. 2 Thess. 3. 2. 1 Joh. 4. 1. Heb. 3. 16.

Non nullus dives est avarus: id est, *Aliquis dives est avarus.*

Non aliquis dives est avarus: id est, *Nullus dives est avarus.* Sic. 1 Reg. 4. 27. Num. 31. 49. Deut. 2. 7. 2 Pet. 1. 10.

2. Post contra. id est,

Negatio postposita signo (scilicet universali) facit propositionem æquipollere suæ contrariæ. ut,

Omnis non: ——*Nullus.*
Nullus non: —— *Omnis.*

Omnis bene sibi conscius non timet, vel, *Quisquis sibi bene conscius est, non timet:* id est, *Nullus bene sibi conscius timet.* Sic Mat. 12. 25. & 24. 22. Marc. 7. 18. Luc. 1. 37. & 21. 15. Joh. 6. 39. & 11. 26. Rom. 9. 33. Gal. 2. 16. Ephes. 4. 29. & 5. 3.

5. 3. 2 Pet. 1. 20. Apoc. 22. 3. Et in Veteri Teſtamento nihil frequentius.

Nullum animal non ſentit: id eſt, *Omne animal ſentit*. Sic 1 Reg. 8. 46. 2 Reg. 10. 21. Exod. 12. 30.

Exceptio. Univerſalis affirmata, poſtpoſitâ negatione, aliquando æquipollet ſuæ contradictoriæ. ut, *Omnes docti non ſunt prudentes:* id eſt, *Non omnes docti ſunt prudentes*, vel, *Aliqui docti non ſunt prudentes*. Sic. Rom. 12. 4. 1 Cor. 15. 51. Sirac. 8. ult.

3. Præ poſtq, ſubalter. id eſt,

Negatio præpoſita & poſtpoſita cuivis ſigno, facit propoſitionem æquipollere ſuæ ſubalternæ.

Non omnis non: —— *Aliquis.*

Non nullus non: —— *Aliquis non.*

Non aliquis non: —— *Omnis.*

Non omne animal non eſt rationale: id eſt, *Aliquod animal eſt rationale.*

Non nullum animal non eſt rationale: id eſt, *Aliquod animal non eſt rationale.*

Non aliquod animal non ſentit. id eſt, *Omne animal ſentit.* Sic Iſa. 39. 2, 4. Et Cic. de ſenect. 83. *Nec ulli bonarum artium magiſtri non beati putandi.* id eſt, *Omnes bonarum artium magiſtri beati putandi.*

CAP.

CAP. VII.

Usus. Per Conversionem fit Reductio Syllogismorum ostensiva. pag. 148.

De Conversione propositionum categoricarum.

CONversio propositionis categoricæ est apta Subjecti & Prædicati commutatio. id est, talis, in quâ si propositio convertenda vera sit, etiam conversa futura sit vera.

Differt Conversio ab Inversione, de quâ suprà in Crypsibus, cap. 3. Ibi enim partes, licèt inverso ordine positæ, manent tamen eædem, id est, Subjectum manet Subjectum, Prædicatum manet Prædicatum: hîc autem mutantur, Subjectum in Prædicatum, & Prædicatum in Subjectum.

Propositio affirmata convertitur in affirmatam, negata in negatam.

*Vide pag. 63, 68, 69.

*Si propositio fuerit implicita, explicanda est antequam convertenda.

Conversio (propriè sic dicta) est Simplex, vel Attenuata.

*S*implex conversio est, ubi transpositis terminis eadem remanet quantitas. id est, universalis manet universalis, particularis manet particularis.

Ità

Ità convertitur universalis negata, & particularis affirmata. ut, *Nullus lapis sentit: Nullum sentiens est lapis. Aliquod album est dulce: Aliquod dulce est album.*

Attenuata conversio est, ubi transpositis terminis minuitur quantitas. id est, ex universali fit particularis.

Ità convertitur universalis affirmata. ut, *Omnis homo est animal: Aliquod animal est homo.*

Si quando universalis affirmata convertitur simpliciter, id fit ratione materiæ, non formæ; id est, ex vi terminorum, non ex naturâ propositionis: adeoq; dicitur *Conversio terminorum*, non conversio propositionis. ut, *Omnis homo est risibilis: Omne risibile est homo.* Nam *Homo* & *Risibile* sunt termini convertibiles.

pag. 71. 16. & 89. 7.

Versiculi.

E. I. Simpliciter vertendo, signa manebunt.

Ast A. cùm vertis, signa minora cape.

* Particularis negata non potest converti conversione propriè dictâ. Neque enim sequitur, *Aliquod vivens non sentit:* Ergo *Aliquod sentiens non vivit.* Nisi ratione materiæ - ut Aliquis dives non est avarus.

* Mutatâ autem negatione vinculi in negationem Prædicati (ut cap. 3.) convertitur simpliciter ut particularis affirmata. Ut Aliquod vivens non sentit (id est, est non sentiens) Aliquod non sentiens vivit.

Horum omnium ratio pendet & petenda est

est ex regulis Suppositionis. *Cap. 4.*

Ad hanc duo requiruntur: 1 Contradictio utriusque partis. 2. Transpositio. Vid. pag. 87. l. 27.

Est et alia Conversio, quæ dicitur *Per Contrapositionem:* quæ est, ubi termini transpositi insuper etiam mutantur, affirmati in negatos, negati in affirmatos, eâdem remanente quantitate & qualitate propositionis.

Hæc impropriè dicitur Conversio, quia termini non manent iidem, sed mutantur in suos contradictorios, ut dictum est. Usus autem hujus non minor est, quàm præcedentium.

Hoc igitur modo convertitur universalis affirmata, & particularis negata.

1. Joh. 3. 6. Compara Mat. 12. 30. cum Marc. 9. 40.

1. Universalis affirmata. ut, *Omnis homo est animal: Omne non animal est non homo. Omnis homo est non brutum: Omne brutum est non homo. Quicquid non est substantia, est accidens: Quicquid non est accidens, est substantia. Quicquid non vivit, non sentit: Quicquid sentit, vivit.*

2. Particularis negata. ut, *Aliquod album non est dulce: Aliquod non dulce non est non album,* id est, *Aliquod non dulce est album. Aliquis non dives non est mendicus: Aliquis non mendicus non est dives.*

Versiculi.

Verſiculi.

Contraponendo muta affirmata negatis.
A.O. Sic verſis, ſigna manent eadem.

In Converſione Simplice & per contrapoſitionem, Convertenda & Converſa planè æquipollent, adeoque ſe mutuò ſequuntur non tantum in veritate ſed etiam in falſitate. In Converſione autem Attenuatâ, Converſa ſequitur Convertendam (id eſt, particularis univerſalem) in veritate tantùm, non in falſitate. Non enim quia falſa eſt hæc, *Omne animal eſt homo*, ideo falſa eſt hæc, *Aliquis homo eſt animal.*

CAP. VIII.

De Modalibus.

MOdales propoſitiones ſunt, quibus expreſſè adduntur hi Modi, *Neceſſe*, *Impoſſibile*, *Contingens* ſive *Poſſibile.*

Necesse	vim habet signi	*Un: aff.*	*Omnis.*
Impossibile		*Un: neg.*	*Nullus.*
Contingens vel *possibile*		*Part. aff.*	*Aliquis.*
Contingens non vel *possibile non*		*Part. neg.*	*Aliquis non.*

Modales similiter ad invicem referuntur, æquipollent, & convertuntur, ut Puræ.

1. Relationes Modalium.



2. Æqui-

2. Æquipollentia Modalium.

Præ contradict.

Non neceſſe eſt eſſe: Contingit (vel, *Poſſibile eſt*) *non eſſe.*

Non impoſſibile eſt eſſe: Contingit (vel, *Poſſibile eſt*) *eſſe.*

Non contingit (vel, *Non poſſibile eſt*) *eſſe: Impoſſibile eſt eſſe.*

Poſt contrá.

Neceſſe eſt non eſſe: Impoſſibile eſt eſſe.

Impoſſibile eſt non eſſe: Neceſſe eſt eſſe. Luc. 17. 1. cum Mat. 18. 7.

Præ poſtque ſubalter.

Non neceſſe eſt non eſſe: Contingit (vel *poſſibile eſt*) *eſſe.*

Non impoſſibile eſt non eſſe: Contingit (vel *Poſſibile eſt*) *non eſſe.*

Non contingit (vel, *Non poſſibile eſt*) *non eſſe: Neceſſe eſt eſſe.* Sic. Act. 4. 20.

3. Converſio Modalium.

Simplex.

Impoſſibile eſt album eſſe nigrum: Impoſſibile eſt nigrum eſſe album.

Contingit (vel *Possibile est*) *album esse dulce : Contingit* (vel *Possibile est*) *dulce esse album.*

Attenuata.

Necesse est hominem esse animal : Contingit (vel *Possibile est*) *animal esse hominem.*

Per Contrapositionem.

Necesse est hominem esse animal : Necesse est non animal esse non hominem.

Contingit (vel *Possibile est*) *album non esse dulce : Contingit* (vel, *Possibile est*) *non dulce non esse non album*, id est, *non dulce esse album.*

CAP. IX.

De propositione compositâ sive hypotheticâ in genere, ejusque speciebus.

PRopositio composita sive hypothetica est, cujus partes sunt integræ propositiones, vinculum autem conjunctio.

Itaque è conjunctione affirmatâ affirmatur,

matur, negatâ negatur.

Negatur propositio hypotheticæ uno ferè modo, nempe eo de quo dictum est cap. 2. præponendo negationem toti propositioni, vel tollendo præpositam. Exceptionum vide pag. 100. infrà.

Pro conjunctionum varietate variæ sunt propositionum hypotheticarum species. Præcipuæ autem, & ad quas reliquæ facilè reduci possunt, quatuor sunt: Connexa, Copulata, Discreta, Disjuncta.

Connexa & Discreta ex binis tantùm partibus semper constant, Antecedente nimirum & Consequente: Copulata & Disjuncta nullo certo numero partium definiuntur. In his tamen quantumvis multæ sint partes, omnes possunt reduci ad binas (& quidem variè) & altera Antecedens, altera Consequens appellari.

Conjunctionis nota aliquando deest: sed ex consideratâ partium inter se affectione suppleri potest, ut in singulis speciebus videbitur.

Aliquando una nota grammatica pro aliâ ponitur: de conjunctione autem logicâ, adeoque de propositionis specie, ex partium inter se affectione judicandum est. Exempla vide cap. 14. per totum.

CAP. X.

De Propositione connexâ.

CONnexa propositio est, cujus conjunctio est connexiva: id est, quâ infertur Consequens ex Antecedente.

Hanc ex Hypotheticis primo loco ponimus, utpote ex quâ reliquæ omnes pendent, & ad quam, tanquam ad mensuram suam, referuntur, cujus denique ratione dicuntur Hypotheticæ, ut patebit cap. 15, 16.

Connexæ propositionis tres species sunt: Conditionalis, Causalis, Relativa.

1. Conditionalis.

Conditionalis propositio est, cujus conjunctio est conditionalis, Si, nisi.

Ex: gr. Affirmatæ. *Si homo est, animal est. Si leo est, equus non est. Si dies non est, nox est. Si non nutritur non crescit.*

Negatæ. *Non si largus est, liberalis est. Non si misericors est, justus non est. Non si album non est, nigrum est. Non si non sentit, non vivit.*

Illis contradicitur præponendo negationem, his tollendo.

Conditionalis speciatim ac propriissimè dicitur Hypothetica. In hac enim neutra pars

pars θετικῶς ſive poſitivè accipitur, ſed ſolummodo Conſequens ſuſpenditur ex Antecedente.

Conditionalis affirmata ſignificat Conſequens ſequi ex Antecedente: Negata, non ſequi.

Vera igitur eſt Conditionalis affirmata, quando Conſequens reverâ ſequitur ex Antecedente: Falſa, quando non ſequitur.

Negata, contrá. id eſt, Negata vera eſt, quando Conſequens non ſequitur ex Antecedente: Falſa, quando ſequitur.

Hinc apparet, Conditionalem veram eſſe poſſe ex utrâque parte falſâ, & falſam ex utrâque parte verâ. Non enim hîc ſpectatur veritas & falſitas partium, ſed conſequentiæ.

Conditionalis (adeoque omnis connexa) affirmata, eſt inſtar Univerſalis. ut, *Si homo eſt, animal eſt:* id eſt, *Omnis homo eſt animal, Si homo eſt, brutum non eſt:* id eſt, *Nullus homo eſt brutum.* Negata, eſt inſtar Particularis. ut, *Non ſi miſericors eſt, juſtus non eſt:* id eſt, *Aliquis miſericors eſt juſtus. Non ſi animal eſt, homo eſt:* id eſt, *Aliquod animal non eſt homo.*

Convertitur Conditionalis per contrapoſitionem. Partibus enim in ſuas contradictorias mutatis, & deinde inter ſe com- v. pag. 80. l. 2.

 mutatis,

Aliquando tamen aliò ſpectat convertenda, aliò converſa. ut, Luc. 9. 50. & 11. 23.

mutatis, idem erit sensus. Ex. gr. *Si homo est, animal est*: Ergo, *Si non est animal, non est homo*. Similiter etiam Negata. ut, *Non si vivit, sentit*: Ergo, *Non si non sentit, non vivit*.

Atque hæc Contrapositio sæpe exprimitur ad majorem evidentiam. ut Rom. 11.6. *Si ex gratiâ, non ex operibus: Si ex operibus, non ex gratiâ*. Sic 1 Cor. 11.6. & 15.12, 13.

Sic positis Contrariis partium pro Contradictoriis. ut, *Si longa est, levis est: si gravis est, brevis est*. id est, *Si non est levis, non est longa*.

Senec. Medea. 434. —— *Si vellem fidem*
Præstare meritis conjugis, letho fuit
Caput offerendum: Si mori nolim, fide
Misero carendum.

Cic. lib. 2. Ep. 1. *Si in me iniquus es judex, condemnabo eodem ego te crimine: sin me id facere noles, te mihi æquum præbere debebis*.

Atque hujus Conversionis consecutio perpetua ac necessaria est.

Hinc Conditionalis ex impossibili vel falso Consequente æquivalet simplici & absolutæ contradictioni Antecedentis. ut Simo Terent. Andr.

Si te inde exemerim, ego pro te molam. id est, *Nequaquam te eximam*. Sic. Num. 16.29.

16. 29. 1 Reg. 22. 28. Gal. 2. 21. 1 Cor. 15. 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19.

Non autem ſequitur ſimpliciter convertendo, *Si homo eſt, animal eſt. Ergo, Si animal eſt, homo eſt,*; aut (quod idem eſt) *Ergo, Si non eſt homo, non eſt animal.*

Niſi fortè ex naturâ materiæ ſive partium. ut, *Si homo eſt, riſibilis eſt: Si riſibilis eſt, homo eſt: Si homo non eſt, riſibilis non eſt: Si riſibilis non eſt, homo non eſt.* pag. 71. 16. & 79. 11.

Aut ex intentione loquentis; quando ſcilicet vult conditionem intelligi reſtrictivè ſive excluſivè. ut, 1 Sam. 11. 2. *In hoc feriam vobiſcum fœdus, ſi eruam,* &c. id eſt, *hac ſolâ conditione, & non aliter.* Sic Act. 8. 37. *Si credis ex toto corde, licet.* Ergo, *ut liceat, credas oportet: Et, ſi non credis, non licet.* Sic Luc. 13. 3, 5. *Si non reſipiſcatis, peribitis.* Unde inferre licet, *Si reſipiſcatis, non peribitis:* Et, *Si peribitis, non reſipiſcitis.*

Hinc, ex eâdem intentione loquentis, Conditionalis ex conditione impoſſibili, ſive Antecedente manifeſtè falſo, æquivalet ſimplici & abſolutæ contradictioni Conſequentis. Horat. lib. 3. Od. 5.

Si pugnat extricata denſis
Cerva plagis: erit ille fortis,
Qui perfidis ſe credidit hoſtibus.

id eſt, *Ut cerva extricata plagis non pugnat: ita*

ita nec ille fortis erit, qui se credidit hostibus. Similia vide Genes. 13. 16. Jer. 13. 23. & 31. 36, 37. & 33. 20, 21.

2. Causalis.

Causalis propositio est, cujus conjunctio est causalis, *Quia, quòd, quoniam, quandoquidem, cùm, quando* (pro *quandoquidem*) *nam, namque, enim, etenim, quippe, utpote, ut* (pro *utpote*) *propterea quòd.* ut, *Quia sentit, vivit.*

Huc referuntur etiam conjunctiones Finales, sive Perfectivæ, *Ut, ne, quò* (pro *ut.*) *Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones.*

Item Rationales, sive Illativæ, *Ergo, igitur, ideo, itaque, idcirco, proin, proinde, propterea, quapropter, quamobrem, quare, quocirca.* ut, *Sentit, ideo vivit.*

Notæ Causales (speciatim sic dictæ) & Finales Antecedentibus; Rationales, sive Illativæ, Consequentibus adjunguntur. Aliquando ambæ simul. ut, *Quia sentit, ideo vivit.*

In Causalibus propositionibus non tantùm Causatum ex Causâ infertur, sed & Causa ex Causato, & quodvis aliud argumentum ex alio. ut, Luc. 7. 47. *Remissa*

sunt

ſunt ei peccata, quia dilexit multum. Et 1 Cor. 10. 5. *Pleroſque illorum non habuit gratos Deus: nam proſtrati ſunt in deſerto. Quia tendit deorſum, grave eſt. Quia pallet, conſcius eſt. Quia dies eſt, nox non eſt. Quia nox non eſt, dies eſt. Quia homo eſt, animal eſt.* Cauſa enim hic ſpectatur non *Conſequentis*, ſed *Conſequentia*.

Partes in Cauſalibus ſemper accipiuntur θετικῶς ſive poſitivè.

Vera igitur eſt Cauſalis affirmata, quando & Conſequens ſequitur ex Antecedente, & utraque pars eſt vera: Falſa, quando vel Conſequens non ſequitur ex Antecedente, vel altera pars eſt falſa.

Negata, contrà.

Quinetiam ſi Antecedens falſum ſit, tamen, cùm enunciatur cauſaliter, ponitur & ſumitur ab enunciante tanquam verum. Hinc, *Legato cauſaliter enunciato falſa cauſa adjecta non nocet; at conditionaliter enunciato nocet.* Juſtinian. Inſtitut. lib. 2. Tit. 20. De Legatis.

3. Relativa.

Relativa propoſitio eſt, cujus conjunctio eſt particula relativa, eique reſpondens redditiva.

Relativum

Relativum Antecedenti, Redditivum Consequenti adjungitur.

Relativæ propositiones variæ sunt, præcipuè autem quinque: viz. *Substantiæ*, *Quantitatis*, *Qualitatis*, *Loci*, *Temporis*. Quarum singularum sua sunt distincta Relativa & Redditiva.

1. *Substantiæ*, Relativa sunt, *Qui*, *quisquis*, *quicquid*, *quicunque*; id est, *Si quis*: Redditiva, *Ille*, *ipse*, *is*, *idem*. Ex. gr.

Qui simulat verbis, nec corde est fidus amicus,
Tu quoque fac simile. Cato. id est, Si quis simulat.

Qui non est hodie, cras minùs aptus erit.

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi.

Quem dies vidit veniens superbum:
Hunc dies vidit fugiens jacentem.

Cic. pro Quinctio in principio. *Quæ res in civitate duæ plurimum possunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore.*

Et longiore periodo, primâ in Verrem. *Quod erat optandum maximè*, &c. Vide infrà, cap. 18.

Et multò adhuc longiore, in Oratione ad Quirites post reditum. *Quod precatus sum à Jove Opt. Max. &c. ---maximè lætor Quirites.*

2. *Quan-*

2 *Quantitatis*, Relativa sunt, *Quantus, quantùm, quantò, quò* (pro *quantò*) *quot, quàm.* id est, *Si quantus.* Redditiva, *Tantus, tantùm, tantò, eò, tot, tam.*

Quantum quisq; suâ nummorum servat in arcâ, Tantum habet & fidei. Juvenal. Sat 3. id est, *Si multum, multum; si parùm, parùm.* Et Hor. lib. 1. Sat. 2.

Quantò perditior quisq; est, tantò acriùs urget. Quot homines, tot sententiæ.

3. *Qualitatis*, Relativa sunt, *Qualis, quemadmodum, quomodo, ut, sicut,* id est, *Si qualis.*

Redditiva, *Talis, sic, ità, similiter, itidem.*

Ut sementem feceris, ità et metes. id est, *Si bene, bene; si malè, malè: Si parcè, parcè; si copiosè, copiosè. Qualis rex, talis grex.* id est, *Si bonus, bonus; si malus, malus.*

4. *Loci*, Relativa sunt, *Ubi, unde, quò, quà.* id est, *Sicubi, sicunde, siquò, siquà.* Redditiva, *Ibi, inde, eò, illuc, illac.* ut, *Ubi amor, ibi oculus. Unde oriuntur omnia, eò redeunt. Non ubi quisque erit, ejus loci jus tenebit.* Cic. paradox. 121.

5. *Temporis*, Relativa sunt. *Quando, quamdiu, cùm, dum, donec, quoties.* id est, *Si quando,* &c. Redditiva, *Tunc, tamdiu, totics.* Composita ex Relativis & Redditivis, *Antequam*

tequam, Priusquam, Postquam. ut, *Cùm infirmor, tunc potens sum.* 2 Cor. 12.10.

Donec eris felix, multos numerabis amicos. Cic. de Or. 95. *Quoties dicimus, toties de nobis judicatur.* Sallust. *Antequam incipias, consulto; postquam consulueris, maturè facto opus est.*

Ex propositionibus relativis multæ (præsertim Relativæ *Substantiæ*) ad Categoricas referri solent. Quædam ex iis, quæ *Quantitatis* & *Qualitatis* esse videntur, ad Copulatas pertinent: ut quæ enunciantur per *Tam, quam*: *Ut, sic*: *Non solùm sed etiam.*

Quod ad veritatem & falsitatem propositionum Relativarum, Si partes sumantur tantùm hypotheticè, sequuntur regulam Conditionalium: si θετικῶς, sequuntur regulam Causalium.

Cic. pro S. Rosc. 35. a. assurgit a Conditionali ad temporale θετικῶς acceptum. Quæ si prodierit, atqui adeo cum prodierit (scio etiam proditurum esse) audiet.

Crypses Connexarum.

1. Aliquando altera pars deest: præsertim Consequens; Et dicitur Ἀνανταπόδοτον. ut Luc. 13. 9. *Si quidem fructum ferat. s. Bene.* Sic Dan. 3. 15. 2 Thess. 2. 3. *Nisi venerit primùm apostasia. s. Non adveniet dies Christi.* 1 Tim. 1. 3, 4. *Sicut rogavi te* &c. *s. Ità facito.* Sic in Aposiopesi.

peſi. Ter. Andr. *Quem quidèm ego, ſi ſenſero. ſ. dabo in piſtrinum.*

2. Aliquando conjunctio deeſt. ut, *Rugit leo, tremunt beſtiæ.* id eſt, *Si*, vel *quando rugit.*

Græculus eſuriens in cœlum, juſſeris, ibit. id eſt, *Si juſſeris.* Juvenal. Sat. 3. 78.

Præſertim cum interrogatione. Gnatho Terent.

Negat quis? nego: Ait? aio. Et Martial. lib. 6. ep. 50.

Vis fieri dives Bithynice? conſcius eſto.

Et Juvenal. Sat. 3. *Rides? majore cachinno Concutitur.*

Et Sat. 8. *---Sanctus haberi,*
Juſtitiæque tenax dictis factiſque mereris?
Agnoſco procerem.

Sic Proverb. 22. 29. & 26. 12. Sirac. 7. 22, 23, 24, 26. Jac. 3. 13. & 5. 13, 14. Rom. 13. 3. & 14. 22. Mar. 4. 13. Jer. 13. 23.

Sæpe etiam conjunctio implicatur in Participio. ut 2 Cor. 7. 1. *Has igitur habentes promiſſiones, mundemus nos,* &c. id eſt, *Cùm habeamus.* Sic 2 Cor. 1. 23. *Parcens vobis, non veni Corinthum.* id eſt, *Ut parcerem.* Sic cap. 3. 12. & 4. 1. 1 Tim. 6. 8. Coloſſ. 3. 9, 10. Act. 15. 29, 30, 31, 32,

33.

33. & 17. 23,24, 25. 1 Cor. 4 12,13, 14.

Et frequentiſſimè, genitivo apud Græcos, & ablativo apud Latinos abſolutè poſito, participio vel expreſſo vel ſubintellecto. ut, *Me duce vinces.* id eſt, *ſi ego dux fuero.*

3. Aliquando partes invertuntur. ut, *Animal eſt, ſi homo eſt. Remiſi tibi, quoniam rogaſti me. Tanti eris aliis, quanti tibi fueris. Veniam, cùm opportunum fuerit.*

Differt autem hæc Inverſio à Converſione (de quâ ſuprà hoc capite) quia partes inverſæ hîc non (ut ibi) commutantur inter ſe, ſed Antecedens manet Antecedens, Conſequens manet Conſequens. Quomodocunque enim partes collocentur, ſemper ea pars, quæ notam Conditionalem, aut Cauſalem, aut Relativam annexam habet, Antecedens eſt; altera Conſequens. vel, Ea pars quæ infert alteram, est Antecedens: quæ infertur, est Consequens.

4. Aliquando ſimul et deeſt conjunctio, & partes invertuntur. ut Senec. Troad. 1016.

Nemo ſe credit miſerum, licèt ſit;
Tolle felices. ---id eſt, *Si tollas felices, nemo credit ſe miſerum, licèt ſit miſer.*

CAP.

CAP. XI.

De propoſitione copulatâ.

COpulata propoſitio eſt, cujus conjunctio eſt copulativa, *Et*, *ac*, *atq;*, *nec*, *neq;*, *cùm tum*, *tum* geminatum, *tam quàm*, *non ſolùm ſed etiam*, *non ſolùm ſed ne*.

Affirmatæ. *Et homo, & brutum ſentit. Planta & vivit, & non ſentit. Neque metuam quicquam, & cavebo omnia.* id eſt, *Et non metuam, & cavebo. Neq; bonis, neq; malis invidendum eſt.* id eſt, *Et bonis non eſt invidendum, & malis non eſt invidendum.*

Negatæ. *Non et amicus, & adulator es. Non & liberalis es, & juſtus non es. Non & ſol non occidit, & nox eſt. Non & ſanus non es, & æger non es.*

Ex pluribus membris. *Et hic, & ille, & iſte pauper eſt. Hic & pauper, & pius, & doctus eſt.*

Plures partes reducuntur ad binas, ponendo quamlibet unam aut plures earum pro Antecedente, reliquam reliquaſve pro Conſequente.

Plura argumenta conjuncta in propoſitione categorica, vim habent propoſitionis copulatæ, & tot membris quot ſunt argumenta. ut Act. 12. 5. Precatio aſſidua fiebat ab Eccleſia, ad Deum pro eo. Pſal. 130. ult. Gen. 1. 1. Rev. 36. 10. Act. 3. 1. & 13. 23. & 11. 18. Deut. 10. 4. Eph. 3. 20. & 5. 20. Pſal. 116. ult. Num. 1. 1. & 9. 1.

Copulata affirmata ſignificat omnes & ſingulas partes eſſe veras. Negata ſignificat aliquam partem eſſe falſam.

Vera igitur eſt copulata affirmata, quando omnes & ſingulæ ejus partes ſunt veræ. Falſa, quando aliqua pars eſt falſa. Negata, contra.

Copulata convertitur ſimpliciter. Ad veritatem enim ejus nihil intereſt quo ordine partes collocentur, Ex gr. *Et dives, & doctus eſt*: vel, *Et doctus & dives eſt.*

Ad commoditatem autem ſenſûs aliquando nonnihil intereſt. Cùm enim partes ſubordinantur, ſemper oratio debet creſcere: id eſt, id quod ſequitur, debet aliquid ſuperaddere ei quod præcedit, non autem in eo contineri, ſive ex eo ſequi. Ex. gr. *Animal & vivit, & ſentit.* Sic Act. 26. 29. *Et in modico, & in multo, non ſolùm tu, ſed & omnes qui me audiunt hodie.*

Si contrà fiat, quamvis vera ſit propoſitio, erit tamen ridicula. Ex gr. *Animal & ſentit, & etiam vivit*: verè dicitur, ſed ridiculè. Si enim ſentit, vivit. Ideo [*Vivit*] nihil ſuperaddit ad [*Sentit*] adeóque nihil dictum in Conſequente, quod non antè dictum fuerit in Antecedente.

Copulata affirmata ſimilis eſt univerſali

ſali. ut, *Et hic, & ille, & iſte:* id eſt, *Omnes.* Negata particulari. ut, *Non & hic, & ille, & iſte:* id eſt, *Aliquis non.*

Aliâ ratione contrà vide Cap. 15. & 17.

Ut propoſitio revera Copulata ſit, nota copulationis ſumi debet diſtributivè ſive ſigillatim, ut in exemplis ſuprà allatis. Contrà, aliquando ſumitur collectivè ſive complexim. ut, *Duo & tria ſunt quinque. Beati, qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.* Luc. 11. 28. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Joh. 20. 29. *Scienti bonum facere & non facienti, illi peccatum eſt,* Jac. 4. 17. Sic Luc. 12. 47, 48. Hujuſmodi propoſitiones referri poſſunt partim ad Categoricas, partim ad Connexas vel Prolepticas. vide infrà Cap. 14. Enallage 5.

Crypſis Copulatarum.

Conjunctio aliquando deeſt. ut, *Veni, vidi, vici.* Ter. Phorm. act. 1. ſc. 2. Persuasit homini: factum est: bentum est: Vincimur: Duxit *Monſtrum horrendum, informe, ingens.* Ter. Andr. —— *funus interim*
Procedit, ſequimur, ad ſepulcrum venimus,
In ignem poſita eſt, fletur.

Implicatur etiam conjunctio in participio.

cipio. ut 1 Tim. 6. 4. *Superbus est, nihil sciens*: id est, *Et nihil scit*. Sic. Mat. 28. 19, 20. Heb. 2. 18. Act. 17. 26.

CAP. XII.

De Propositione discretâ.

DIscreta propositio est, cujus conjunctio est discretiva, *Sed, at, atqui, ast, autem, verò, verùm, veruntamen: Quanquam, tamen.*

Discreta est Antithetica vel Proleptica.

Antithetica est Discreta, cujus Antecedens non præoccupat objectionem contra Consequens. ut, *Non qui patitur, sed qui facit injuriam, miser est. Felicitas non in habitu, sed in actu virtutis consistit. Qui suâ sorte contentus est, satis habet: avarus autem semper eget.* Hujusmodi sunt multa ex Proverbiis Solomonis. ut Cap. 10. ver. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9. &c. Sic Isa. 65. 13, 14. Mat. 7. 21. & 15. 20. Mar. 12. 44. Rom. 9. 30, 31. 1 Cor. 4. 10. & 9. 25. Ephes. 5. 8. Heb. 12. 10.

Proleptica est Discreta, cujus Antecedens

In Antitheticâ, Negatio præposita aliquando non refertur ad vinculum (adeoq; ad totam propositionem, sed solummodo ad Antecedens, ut, Non formosus erat sed erat facundus, Ulysses. Huic contradicitur non tollendo illam negationem, sed præponendo alteram. &c. Non Non formosus erat sed erat facundus.

dens præoccupat objectionem contra Conſequens.

Hujus Antecedens enunciatur per conjunctiones adverſativas, *Quanquam, quamvis, quantumvis, etſi, tametſi, etiamſi, licèt,* ut concedentis, *utut, utcunque, eſto.* Conſequens per earum redditivas, *Tamen, attamen, nihilominus.*

Affirmatæ. *Quanquam robuſtus eſt, tamen ignavus eſt. Quanquam pauper eſt, tamen mendicus non eſt. Quanquam planta non ſentit, tamen vivit. Quanquam albus non eſt, tamen niger non eſt.*

Negatæ. *Non quanquam avarus eſt, tamen vir bonus eſt. Non quanquam ſentit, tamen non vivit. Non quanquam juſtus non eſt, tamen liberalis eſt. Non quanquam dies non eſt, tamen nox non eſt.*

Quæcunque enunciari poſſunt per notas prolepticas [*Quanquam, tamen*] poſſunt etiam enunciari per notas antitheticas [*Sed, autem :*] Non ſemper autem è converſo.

Diſcreta magnam habet affinitatem cum Copulatâ: cui hoc tantùm ſuperaddit, quòd partes ſunt diſcretæ. Vide infrà Cap. 15, 16, 17.

Itaq; quoad veritatem & falſitatem eadem eſt hujus atq; illius ratio, viz.

Discreta affirmata vera est, quando utraque pars est vera : Falsa, quando altera pars est falsa. Negata, contra.

Excipe, quòd in Prolepticis Antecedens aliquando accipitur hypotheticè tantùm & per modum fictionis. ut, *Satrapes si esset amator, sumptus eius ferre non posset. Ut omnia contingant, quæ volo ; levari non possum. Etiamsi me obsecret, non redibo.* Sic Matth. 26. 33, 35. 1 Cor. 4. 15. Gal. 1. 8. Et infrà Cap. 14. Enallage 2.

In his, Affirmata vera est, quando Antecedens non tollit Consequens (id est, non infert contradictorium Consequentis:) Falsa, quando Antecedens tollit Consequens. Negata, contrà.

Discreta affirmata ex ambabus partibus veris sed non discretis (id est, quando altera pars infert alteram) vera est, sed ridicula. ut, *Quanquam homo sentit, tamen vivit.* vel, *Quanquam homo vivit, tamen sentit.*

Quævis discreta propositio (sive Antithetica sive Proleptica) convertitur simpliciter, eâdem remanente & veritate & commoditate sensûs : nempe, si Convertenda vera & commoda (id est, non ridicula) fuerit, talis etiam erit Conversa. ut, *Etsi planta animata est, non tamen animal est :*

eſt: Etſi planta animal non eſt, tamen animata eſt.

Sæpe tamen aliò tendere videtur Convertenda, aliò Converſa. ut, *Quanquam Deus miſericors eſt, tamen juſtus eſt*; ſignificat, Non præſumendum eſſe. Contrà, *Quanquam Deus juſtus eſt, tamen miſericors eſt*: ſignificat, Non deſperandum eſſe.

Semper enim magis attenditur ad Conſequens, (utpote quod videtur poſitivè & categoricè enunciari) quàm ad Antecedens; quod ſcilicet additur ſolummodo ad illuſtrationem Conſequentis, & accipitur aliquando quidem poſitivè, aliquando autem duntaxat hypotheticè, ut modò dictum.

Crypſes diſcretarum.

1. Conjunctio aliquando deeſt. ut, Cic. lib. 1. Offic. *Semper in fide, quid ſenſeris, non quid dixeris, cogitandum.* Idem de amicit. 113. *Peccaſſe ſe non anguntur, objurgari moleſtè ferunt.* Idem lib. 1. Epiſt. 1. *Cæteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſe nunquam ſatisfacio.* Idem de Senect. 84. *Tantam domum, tantas clientelas Appius regebat & ſenex & cæcus.* id eſt. *Quan-*

quam & senex & cæcus erat, tamen regebat. Sic Lament. 4. 3. Mar. 15. 31. Joh. 8. 23.

Conjunctio sæpe implicatur in participio. ut, 1 Cor. 10. 3. *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus.* id est, *Quanquam in carne ambulamus, non tamen secundum carnem militamus* Sic Joh. 12. 37. & 21. 11. Act. 13. 28. & 28. 4, 17. Rom. 1. 32. & 7. 3. 2 Cor. 8. 9. Gal. 4. 1. Philem. ver. 8, 9. Jac. 3. 4. 1 Pet. 1. 6, 8. 2 Pet 2. 11, 19.

2. Partes aliquando invertuntur. ut, *Memini, tametsi nullus moneas.* id est, *Tametsi nullus moneas, tamen memini.*

De propositione Exceptivâ & Exclusivâ.

Ad propositionem Discretam referuntur Exceptiva & Exclusiva: quarum alterâ affirmatâ altera negatur. ex. gr.

Omne animal præter hominem est irrationale. vel, *Solus homo ex animalibus non est irrationalis.* id est, *Homo non est irrationalis, sed reliqua animalia sunt irrationalia.*

Item, *Solus homo ex animalibus est rationalis.* vel, *Nullum animal præter hominem est rationale.* id est, *Homo est rationalis, sed reliqua animalia non sunt rationalia.*

CAP.

CAP. XIII.

De propoſitione disjunctâ.

DIſjuncta propoſitio eſt, cujus conjunctio eſt disjunctiva, *Aut, vel, ve.*

Affirmatæ. *Aut dies eſt, aut nox eſt. Aut animal eſt, aut homo non eſt. Aut non ſentit, aut vivit. Aut non invidet, aut non eſt amicus.*

Negatæ. *Non aut album eſt, aut nigrum eſt. Non aut homo eſt, aut animal non eſt. Non aut non vivit, aut ſentit. Non aut juſtus non eſt, aut miſericors non eſt.*

Ex pluribus membris. *Aut album, aut nigrum, aut medii coloris eſt, aut omnino coloratum non eſt.*

Plures partes reducuntur ad binas, ponendo quamlibet unam aut plures ex iis pro Antecedente, reliquam reliquaſve pro Conſequente. ut in Copulatis.

Disjuncta affirmata ſignificat aliquam partem eſſe veram: Negata ſignificat nullam partem eſſe veram, vel, omnes & ſingulas partes eſſe falſas.

Vera

Vera igitur est Disjuncta affirmata, quando aliqua pars est vera: Falsa, quando nulla pars est vera, vel, quando omnes & singulæ partes sunt falsæ. Negata, contrà.

Non autem requiritur ad veritatem disjunctæ affirmatæ (sicut neque ad falsitatem negatæ) ut unica tantùm pars sit vera, ut quidam docent: (qui error & alios errores peperit, ut infrà videbitur Cap. 16, 32, 33.) Falsa enim potest esse disjuncta negata, adeoque vera affirmata, ex duabus, pluribus, omnibus partibus veris. ex. gr. Falsæ sunt hæ negatæ, *Non aut homo aut brutum sentit: Homo non aut rationalis aut mortalis est.* Ergo hæ affirmatæ, quæ illis contradicunt, veræ erunt, *Aut homo aut brutum sentit: Homo aut rationalis aut mortalis est.*

Disjuncta convertitur simpliciter. Ad veritatem enim ejus nihil interest, quo ordine partes collocentur ut, *Aut dies est, aut nox est.* vel, *Aut nox est, aut dies est.*

Ad commoditatem autem sensûs aliquando aliquid interest. Nam in partibus subordinatis oratio communiter decrescit (contrà quàm in Copulatis) id est, id quod majus est, & ex quo alterum infertur,

tur, præcedit; id quod minus eſt, & infertur, ſequitur, additis vel ſubintellectis particulis [*ſaltem, certè, ad minimum.*] ut, *Aut ſentit, aut vivit. Aut omnes aut pleriq;, aut aliqui ſaltem hoc faciunt. Septem, aut ad minimum ſex ſunt.*

Contrà, aliquando creſcit oratio, additis particulis [*etiam, fortè, ad ſummum.*] ut, *Vivit, aut etiam ſentit. Vita hominis eſt ſeptuaginta, aut fortè octoginta annorum. Tria, quatuor, aut ad ſummum quinque ſunt. Sic* 1 Cor. 16. 6. *manebo, vel etiam hyemabo.*

Disjuncta affirmata ſimilis eſt particulari. ut, *Aut hoc, aut illud, aut iſtud eſt.* id eſt, *Aliquid horum eſt.* Negata univerſali. ut, *Non aut hoc, aut illud, aut iſtud eſt.* id eſt, *Nihil horum eſt.* Aliâ ratione contrà, vide Cap. 15. & 17.

Crypſis disjunctarum.

Conjunctio aliquando omittitur. ut, *Plus, minus. Velis, nolis. Volens, nolens. Quatuor, ad ſummum quinque. Paulo momento huc illuc impellitur. Seriùs ocyùs Sors exitura.* Hor. lib. 2. Od. 3.

CAP.

CAP. XIV.

De Conjunctionum Enallage.

ENallage conjunctionum est, quâ una conjunctio pro aliâ ponitur.

1. Conditionalis pro Causali.

Si, pro *Cùm*, *Quia*.

Cic. in Catilin. 3ª *Si non minùs jucundi atq; illustres sunt ii dies, quibus conservamur, quàm ii, quibus nascimur*, &c.

Act. 11. 17. *Si æquale donum dedit iis Deus*, &c. *ego quis eram qui possem prohibere Deum?* Sic. Mat. 10. 25. Joh. 10. 35. et 13. 14. et 14. 2, 3. Rom. 8. 16, 17. 1 Cor. 6. 2. 2 Cor. 12. 6. et 13. 4. Jer. 12. 5.

2 Conditionalis pro Discretivâ.

Si, pro *Etiamsi*.

Redeam? non si me obsecret. Cic. in Ver. fol. 61. *Si nemo tibi respondurus esset, tamen ipsam causam, ut ego arbitror, demonstrare non posses.* Idem Offic. 59. *Si omnes deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare*, &c.

Sic Num. 22. 18. 2 Sam. 18. 12. 2 Reg. 7. 2. Psal. 139. 8, 9, 10, 11, 12. Prov. 27. 22. Jer. 22. 24. & 37. 10. Hos. 4. 15. Amos 9. 2, 3, 4. Obad. ver. 4, 5. Mat. 16. 26 Luc 22. 67, 68. Rom. 9 27. 1 Cor. 9. 2.

9. 2. & 13. 1, 2, 3. 2 Tim. 2. 13.

3. Copulativa pro Connexivâ.
Et, pro *Si*, *cùm*, *dum*.

Pſal. 104. 32. *Aſpicit terram, & tremit: tangit montes, & fumant.* Pſal. 33. 9. *Ipſe dixit, & fuit: ipſe præcepit, & extitit.* Juvenal. Sat. 3.

Ardet adhuc, & jam accurrunt, qui marmora donent. id eſt, *dum adhuc ardet.*

Cum modo imperativo. Luc. 10. 28. *Hoc fac & vives.* Sic Mat. 7. 7. Luc. 6. 35, 37, 38. Jac. 4. 7, 8, 10. Pſal. 37. 3, 4, 5, 27, 34. Sirac. 30. 9.

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo. id eſt, *Si dixeris, eris.*

4. Copulativa pro Diſcretivâ, præſertim Antitheticâ.
Et pro Sed.

2 Cor. 6. 8, 9, 10. *Ut ſeductores, & veraces*, &c. Luc. 4. 26. *Et ad nullam earum.* Luc. 7. 35. *Et juſtificata eſt ſapientia.* Joh. 21. 23. *Et non dixit ei Jeſus.* Act. 10. 28. *Et mihi Deus oſtendit.* 1 Cor. 16. 12. *Et omnino non erat ei voluntas.* 2 Tim. 3. 11. *Et ex omnibus eripuit me Dominus.* Sic Mat. 6. 26. & 12. 39. & 16. 4. Mar. 12. 12. Luc. 8. 13. & 18. 13. & 20. 19. Joh. 7. 28. & 16. 32. 1 Cor. 5. 10. Et in Veteri Teſtamento paſſim.

5. Copu-

5. Copulativa, vel Antithetica, pro Connexivâ, vel Prolepticâ.

Rom. 6.17. *Gratias autem Deo, quòd fuistis servi peccati, obedistis autem, &c.* id est, *quod cùm fueritis servi peccati, nunc obedistis.* Sic Mat. 11.25. & 23. 23,24, 25. Luc. 15. 32. & 20. 42. 2 Cor. 13. 7.

6. Copulativa pro Redditivâ in Connexis.

Hor. lib. 2. sat. 3. —*Qui sceleratus, Et furiosus erit.* id est, *idem etiam furiosus erit.* Sic apud Euclidem sæpe. ut Prop. 4. 6, 8, 24,25,26,33. primi. Et prop. 3. tertii. Et prop. 2,3,4,5,6, 13,14,16,17,18, 19, 20, 21, 22, 23, 24. quinti. Et prop. 22. sexti.

2 Cor. 2. 2. *Si ego contristo vos, et quis est, qui me lætificet?* Sic. Mat. 28.9. Luc. 2. 21, 27, 28. & 5. 1. & 7. 12. Act. 1.10. & 10. 17. & 11. 17. 2 Cor. 11. 12. 2 Tim. 2. 11, 12. Et in Vet. Test. frequentissimè.

Sic οὐδὲ, *neque*, Mat. 6. 15 & 25. 45. Luc. 16. 31. Rom 4 15. 1 Cor. 15. 13, 16. 1 Jo. 2. 23. Et μηδὲ 2 Thess. 3. 10.

7. Copu-

7. Copulativa pro Disjunctivâ.

Ter. Andr. *Quo jure quâque injuriâ præcipitem in piſtrinum dabit.*

Exo. 21. 15. *Qui percutit patrem & matrem.* Jer. 36. 23. *tres pagellas & quatuor.* Jer. 44. 28. *cujus verbum ſtaturum ſit, meum & illorum.*

Poſt particulas negativas in Vet. Teſtamento fere perpetua eſt hæc Enallage. ut 1 Sam. 13. 22. & 27. 9. & 28. 15. 2 Sam. 2. 19. 1 Reg. 22. 31. 2 Reg. 7. 10. Prov. 4. 27. Sic etiam in Novo. Mat. 10. 26. Luc. 1. 15. & 10. 22. & 12. 38 2 Cor. 13. 1.

Breviter, Copulativa conjunctio *Vau* apud Hebræos pro omnibus conjunctionibus ponitur. Quod etiam [καὶ] imitatur in linguâ Helleniſticâ. Unde varii ejus ſenſus cautè diſtinguendi ſunt, præſertim ubi ſæpiùs occurrit in eâdem ſententiâ.

8. Exceptiva εἰ μὴ, pro Diſcretivâ ſive Antitheticâ ἀλλὰ.

Mat. 12. 4. *niſi ſacerdotibus ſolis.* Sic Mat. 24. 36. Luc. 4. 26, 27. Apoc. 9. 4. & 21. 27. Galat. 1. 7.

CAP.

CAP. XV.

De hypotheſi & conſequentiâ in ſingulis propoſitionibus hypotheticis.

VT omnis compoſita propoſitio eſt hypothetica, ita in ſingulis ejus ſpeciebus eſt aliqua hypotheſis & conſequentia: vel, eſt illatio alicujus Conſequentis ex aliquo Antecedente.

Imprimis verò notandum, Copulatam & Diſcretam, ut ſuprà quoad veritatem & falſitatem Cap. 12. ità & hîc quoad hypotheſin & conſequentiam, & in duobus ſequentibus capitibus quoad æquipollentiam & contradictionem, ejuſdem planè rationis eſſe, atque adeò pro unâ & eâdem ſpecie haberi. Atque ità hîc quatuor prædictis ſpeciebus propoſitionum hypotheticarum ad tres reductis, tres etiam ponimus Regulas de earum hypotheſi et conſequentiâ.

1. Connexa, affirmata affirmat, negata negat, ipſum Conſequens ſequi ex ipſo Antecedente:

Antecedente: & (quia Connexa convertitur per contrapoſitionem) Contradictorium Antecedentis ex contradictorio Conſequentis. ut, *Si homo eſt, animal eſt:* Et, *Si non eſt animal, non eſt homo.*

2. Disjuncta affirmata affirmat, negata negat, Conſequens ſequi ex contradictorio Antecedentis; et (quia Disjuncta ſimpliciter convertitur) Antecedens ex contradictorio Conſequentis: vel (ut ſemel dicam) alteram partem ſequi ex contradictorio alterius. Ex. gr. Affirmata. *Aut dies eſt, aut nox eſt.* id eſt, *Si dies non eſt, nox eſt:* Et, *Si nox non eſt, dies eſt.* Negata. *Non aut album aut atrum eſt.* id eſt. *Non ſi album non eſt, atrum eſt:* Et, *Non ſi atrum non eſt, album eſt.*

3. Copulata & Diſcreta, negatæ affirmant, affirmatæ negant, Contradictorium Conſequentis ſequi ex Antecedente; et (quia hæ etiam ſimpliciter convertuntur) Contradictorium Antecedentis ſequi ex Conſequente: vel (ut ſemel dicam) Contradictorium alterius partis ſequi ex alterâ. Ex. gr. Negatæ. *Non & liberalis & avarus eſt:* vel, *Non quanquam liberalis, tamen avarus eſt.* id eſt, *Si liberalis eſt, avarus non eſt:* Et, *Si avarus eſt, liberalis non eſt.* Affirmatæ, *Et liberalis,*

et frugalis eſt: vel, *Quanquam liberalis, tamen frugalis eſt.* id eſt, *Non ſi liberalis eſt, ideo frugalis non eſt:* Et, *Non ſi frugalis eſt, ideo liberalis non eſt.*

Cum autem conſequentiæ affirmatio univerſalitatem, negatio particularitatem importet (ut dictum Cap. 10.) hac ratione, Disjuncta affirmata æquipollet univerſali, negata particulari: contrà, Copulata & diſcreta negatæ univerſalibus, affirmatæ particularibus æquipollent. ut patebit ampliùs Cap. 17.

CAP. XVI.

De hypotheticarum inter ſe æquipollentiâ & contradictione.

EX iis, quæ dicta ſunt capite præcedente, pendent Regulæ de hypotheticarum inter ſe æquipollentiâ & contradictione. Quæ etiam tres ſunt.

1. Connexa, & Disjuncta, ex contradictoriis Antecedentibus & iiſdem Conſequentibus, ſimiles æquipollent, diſſimiles contradicunt. 2 Connexa,

2. Connexa, & Copulata ſive Diſcreta, ex iiſdem Antecedentibus & contradictoriis Conſequentibus, diſſimiles æquipollent, ſimiles contradicunt.

3. Disjuncta, & Copulata ſive Diſcreta, ex ſingulis partibus contradictoriis, diſſimiles æquipollent, ſimiles contradicunt.

Quæ omnes Regulæ hoc Diagrammate breviter ad oculum exhibentur.


Si sentit, vivit
Connexa.
Ex Contradictoriis Antecedentibus & ijsdem Consequentibus
Similes æquipollent.
Dissimiles contradicunt.
Ex iisdem Antecedentibus & contradictoriis Consequentibus
Dissimiles æquipollent.
Similes contradicunt.
Disjuncta.
Ex singulis partibus contradictoriis
Dissimiles æquipollent.
Similes contradicunt
Copulata, & Discreta.
Aut non sentit, aut vivit.
Non et sentit & non vivit

Exempla æquipollentiæ & contradictionis omnium hypotheticarum inter se.

Æquipollentes veræ.	Æquipollentes falsæ.
Connexæ affirmatæ.	Connexæ negatæ.
Si homo est, animal est.	*Non si homo est, animal est.*
Si non est animal, non est homo.	*Non si non est animal, non est homo.*
Disjunctæ affirmatæ.	Disjunctæ negatæ.
Aut homo non est, aut animal est.	*Non aut homo non est, aut animal est.*
Aut animal est, aut homo non est.	*Non aut animal est, aut homo non est.*
Copulatæ negatæ.	Copulatæ affirmatæ.
Non & homo est, & animal non est.	*Et homo est, & animal non est.*
Non & animal non est, & homo est.	*Et animal non est, & homo est.*
Discretæ negatæ.	Discretæ affirmatæ.
Non quanquam homo est, tamen animal non est.	*Quanquam homo est, tamen animal non est*
Non quanquam animal non est, tamen homo est.	*Quanquam animal non est, tamen homo est.*

Omnes & singulæ propositiones unius columnæ contradicunt omnibus & singulis propositionibus alterius columnæ.

Ramus Dialect. lib. 2. cap. 16. videtur ponere Axioma Disjunctum affirmatum & Copulatum negatum (scilicet ex iisdem partibus) tanquam æquipollentia. Quod ex eo sequitur, quod ante dixerat cap. 8. ejusdem libri, E disjunctis unicum esse verum.

Quòd autem è disjunctis non semper unicum sit verum, suprà ostendimus cap. 13.

Et quòd propositio disjuncta affirmata & copulata negata (ex iisdem partibus) non æquipolleant, ex eo manifestum est, quia alterâ earum existente verâ, altera potest esse falsa. Ex. gr. In his [*Aut album aut nigrum est: Non & album & nigrum est.*] Copulata vera est, Disjuncta falsa. In his [*Aut animal est, aut homo non est: Non & animal est, & homo non est*] Disjuncta vera est, Copulata falsa.] Vide infrà cap. 32. 33.

Sed, ut redeamus ad Regulas nostras: ex iis apparet, quamlibet propositionem hypotheticam per omnes species enunciari posse; eidemque posse per omnes species contradici.

Aptissimè autem et propriissimè tum æquipollent tum contradicunt sibi invicem 1 Connexa et Discreta (præsertim Proleptica) 2 Copulata et Disjuncta.

Usus

Usus harum regularum.

Quod obscurè in unâ specie hypotheticæ enunciatur, apertiùs ferè et clariùs in aliis enunciari potest. Et quantumvis clarè aliquid in unâ specie enuncietur; adhuc clarius fit, si in pluribus. Atque idem intelligе de contradicendo cuivis propositioni.

Cic. de Or. 136. *Nec si hoc Crassus non committit, ideo non multi & sæpè committunt.* id est, *Quanquam hoc Crassus non committit, tamen multi & sæpe committunt.*

Quintil. lib. 1. cap. 1. *Nec si aliquid discere satis non est, ideo necesse non est.* id est, *Quanquam satis non est, tamen necesse est.*

Cic. de Divin. 130. *Non sunt dii, & non significant futura.* id est, per Discretam. *Non quanquam dii sunt, tamen non significant futura.* vel, per Connexas, *Si dii sunt, significant futura:* Et, *Si non significant futura, dii non sunt.* vel per Disjunctam, *Aut dii non sunt, aut significant futura.*

Joh. 7. 4. *Nemo occultè facit aliquid, & quærit ipse celebris esse.* Per Connexas, *Si facit aliquid occultè, non quærit ipse celebris esse:* Et, *Si quærit ipse celebris esse, non fa-*

cit aliquid occultè. Per Disjunctam, *Aut non facit aliquid occultè, aut non quærit ipſe celebris eſſe.*

Num. 23. 19. *Dixit, & non faciet?* id eſt, *Non & dixit, & non faciet.* Per Connexas, *Si dixit, faciet:* Et, *Si non faciet, non dixit.* Per Disjunctam, *Aut non dixit, aut faciet.*

Non quanquam dies non eſt, tamen nox non eſt. Per Copulatam, *Non & dies non eſt, & nox non eſt.* Per Connexas, *Si dies non eſt, nox eſt.* Et, *Si nox non eſt, dies eſt.* Per Disjunctam, *Aut dies eſt, aut nox eſt.*

CAP. XVII.

De æquipollentiâ & contradictione Hypotheticarum cum Categoricis.

QUamvis Hypotheticæ nullam propriè quantitatem habeant, id eſt, neque univerſales neque particulares ſint: in ſingulis tamen Hypotheticæ ſpeciebus eſt aliquid quod æquipolleat cuivis Categoricæ, viz.

viz. Universali affirmatæ, Universali negatæ, Particulari affirmatæ, & Particulari negatæ.

Atque hinc etiam in Hypotheticis est quædam quasi Contrarietas, & Subcontrarietas, & Contradictio, & Subalternatio.

Æquipollentiæ Hypotheticarum cum Categoricis (Categoricâ negatâ acceptâ pro affirmatâ ex prædicato negato, ut suprà cap. 3.) Regulæ duæ sunt.

1. Universali æquipollent
- Connexa affirmata, ex utrâque parte simili.
- Disjuncta affirmata, ex dissimili Antecedente & simili Consequente.
- Copulata & Discreta negatæ, ex simili Antecedente & dissimili Consequente.

2. Particulari æquipollent
- Connexa negata, ex simili Antecedente & dissimili Consequente.
- Disjuncta negata, ex utrâq; parte dissimili.
- Copulata & Discreta Affirmatæ, ex utrâq; parte simili.

Exempla

Exempla Hypotheticarum æquipollentium Categoricis.

1. Un. aff. *Omnis amicus est fidelis.*
Connex. *Si amicus est, fidelis est.*
Disjunct. *Aut amicus non est, aut fidelis est.*
Copulat *Non et amicus est, et fidelis non est.*
Discret. *Non quanquam amicus est, tamen fidelis non est.*

2. Un. neg. *Nullus amicus est adulator.*
Connex. *Si amicus est, adulator non est.*
Disjunct. *Aut amicus non est, aut adulator non est.*
Copulat. *Non & amicus est, & adulator est.*
Discret. *Non quanquam amicus est, tamen adulator est.*

3. Part. aff. *Aliquis amicus est blandus.*
Connex. *Non si amicus est, blandus non est.*
Disjunct. *Non aut amicus non est, aut blandus non est.*
Copulat. *Et amicus est, & blandus est.*
Discret. *Quanquam amicus est, tamen blandus est.*

4. Part. neg. *Aliquis amicus non est blandus.*
Connex. *Non si amicus est, blandus est.*

Disjunct.

Disjunct. *Non aut amicus non est, aut blandus est.*
Copulat. *Et amicus est, & blandus non est.*
Discret. *Quanquam amicus est, tamen blandus non est.*

In singulis plures æquipollentes addi possunt ex Regulis hoc libro suprà traditis, De æquipollentiâ purarum, Cap. 6. De conversione earundem, Cap. 7. De Modalibus, earumque æquipollentiâ & conversione, Cap. 8. De conversione Connexæ per contrapositionem, Cap. 10. De Conversione simplici Copulatæ, Discretæ, & Disjunctæ, Cap. 11, 12, 13.

Cuivis ex dictis propositionibus contradici potest, vel præponendo negationem, vel tollendo præpositam, idque vel ipsi vel ulli ex ejus æquipollentibus.

CAP.

CAP. XVIII.

De Propoſitione decompoſitâ.

DEcompoſitam propoſitionem voco, cujus partes, aut etiam partium partes ſunt compoſitæ.

In hac ſemper plures, ſæpe variæ ſunt conjunctiones. Sed illa conjunctio principalis eſt, & dat ſpeciem toti propoſitioni, quæ partes integrantes totius conjungit: reliquæ conjunctiones, ſuo quæque ordine, partium partes conjungunt, eaſq; denominant.

Hujuſmodi propoſitiones ſunt pleræq; omnes longiores periodi. Ad quas tum reſolvendas atq; intelligendas, tum etiam componendas, earumq; partes & particulas ſuis quaſq; interpunctionibus artificioſè diſtinguendas, vocem denique, in legendo & pronunciando, debitè & ſuaviter moderandam, hæc pars dialecticæ (de propoſitionibus compoſitis & decompoſitis) mirificè utilis eſt ac neceſſaria.

Quinetiam diverſæ periodi, ſi conjunctione aliquâ vinciantur, in unam quaſi propoſitionem hypotheticam coëunt.

Reſolvamus pauca quædam exempla.

Mat.

Mat. 6.24. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Aut enim unum odio habebit & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ.*



Jac. 1.26. *Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum: hujus vana eſt religio.*



1 Cor. 13. 1. *Si linguis hominum loquar, & angelorum; charitatem autem non habeam: factus sum æs sonans, aut cymbalum tinniens.*



Mat. 12. 33. *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: siquidem ex fructu arbor agnoscitur.*



Cic.

Cic. in Catilin. fol. 106. *Aut exeant: aut quieſcant: aut, ſi & in urbe & in eâdem mente permaneant; ea, quæ merentur, expectent.*



Cic. in Ver. act. 1. in principio. *Quod erat optandum maximè, Judices, & quod unum ad invidiam veſtri ordinis infamiamq; judiciorum ſedandam maximè pertinebat: id non humano conſilio, ſed prope divinitus datum atque oblatum vobis ſummo reipublicæ tempore videtur.*



Boëtius

Boëtius de conſol: philoſ. lib. 1. metr. 4.

Nec ſperes aliquid, nec extimeſcas:
Exarmaveris impotentis iram.
At quisquis trepidus pavet, vel optat:
Quòd non ſit ſtabilis ſuique juris;
Abjecit clypeum, locoque motus
Nectit, quà valeat trahi catenam.



Terent.

Terent. Eunuch. act. 1. sc. 1.

Si quidem hercle possis: nil prius, neque fortius.
Verùm si incipies, neque perficies gnaviter;
Atque ubi pati non poteris, cùm nemo expetet,
Infectâ pace, ultro ad eam venies, indicans
Te amare, & ferre non posse: actum est, ilicet,
Periisti; eludet, ubi te victum senserit.



Horat. lib. 1. Epist. 1.

Si quadringentis sex septem millia desunt :
Est animus tibi, sunt mores, et lingua,
fidesque ;
Plebs eris.



Connexa
- *Si quadringentis sex septem millia desũt:*
- Discreta
  - quanquam (Copul.)
    - *est animus tibi,*
    - *sunt mores,*
    - *& lingua,*
    - *fidesque ;*
  - tamen *plebs eris.*

Omnium specierum exempla in eâdem periodo vide Exod. 21. 28. Deut. 13. 6, 7, 8, 9, 10, 11. & 15. 21, 22. & 22. 6, 7. & 24. 14, 15. Mat. 19. 29, 30. Luc. 14. 12, 13, 14. Joh. 9. 20, 21. Act. 18. 14, 15. & 28. 6. 1 Cor. 13. 1. ut supra. Joh. 3. 8, 9. Jac. 2. 15, 16, 17. 2 Chron. 7. 13, 14.

CAP.

CAP. XIX.

De complicatione partium.

DE compositæ propositionis compendium quoddam est, partium complicatio: cùm scilicet plures partes pluribus conjunguntur, sive in eodem genere, sive in diversis.

Hîc autem numerus partium is est, qui producitur ex omnibus conjunctis in se continuè ductis sive multiplicatis.

Copulata inter se.

Joh. 15. 24. *Et viderunt, & oderunt, & me, & Patrem.* Ex quatuor partibus, viz. *Viderunt me, viderunt patrem, oderunt me, oderunt Patrem.*

Et somnus, & vinum, & epulæ, & scorta, & balneæ, corpora atq; animos enervant. Ex decem partibus.

Cic. lib. 13. Epist. 30. fol. 217. *In omni genere & honorum, & laborum meorum, & animus, & opera, & authoritas, & gratia, etiam res familiaris C. Capitonis, præsto fuit, & paruit, & temporibus, &*

fortunæ meæ. Ex quadraginta partibus.

Idem in principio 3. Orat. in Catilinam. *Rempublicam, Quirites, vitamq; omnium vestrûm, bona, fortunas, conjuges, liberosq; vestros, atq; hoc domicilium clarissimi imperii fortunatissimam pulcherrimamq; urbem, hodierno die, deorum immortalium summo erga nos amore, laboribus, consiliis, periculis meis, ex flammâ, atq; ferro, ac penè ex faucibus fati ereptam, & vobis conservatam, ac restitutam videtis.* Ex partibus 252.

Disjuncta inter se.

Qui duobus dominis servit, aut hunc, aut illum aut odio habebit, aut contemnet. Ex quatuor partibus.

Aut Ens, aut Substantia, aut Corpus, aut naturale, aut sensibile, aut mobile, est subjectum Physiologiæ. Ex novem partibus. Wendelin. Phys. Sect. 1. Procem. cap. 3. Thes. 2.

Temperamentum simplex aut calidum, aut frigidum, aut humidum, aut siccum est, in primo, secundo, tertio, aut quarto gradu, intenso, aut remisso. Ex partibus 32.

Copulata cum Discretis.

Vide

Vide exemplum cap. præced. *Non humano consilio, sed prope divinitus datum at q; oblatum vobis.* Ex quatuor partibus.

Copulata cum Disjunctis.

Deus & facta, & dicta, & cogitata, tum bonorum, tum malorum, manifestabit, judicabit, remunerabit, aut in hoc seculo, aut in futuro. Ex partibus 36.

CAP. XX.

De Argumentatione sive Syllogismo in genere.

ARgumentationis unica perfecta forma est, nempe Syllogismus. Ad hanc enim reliquæ omnes, quæ dicuntur, formæ reducendæ sunt. ut videbitur Cap. 36. & sequentibus.

Syllogismus est, in quo Quæstio cum Argumento ità disponitur, ut duabus Præmissis concessis necessariò inferatur Conclusio. ut,

Omnis virtus consistit in mediocritate.

Juſtitia eſt virtus. Ergo
Juſtitia conſiſtit in mediocritate.

Materia Syllogiſmi ſunt Quæſtio & Argumentum.

Quæſtio eſt propoſitio in dubium vocata, ad quam reſponderi poteſt per *Ità*, vel *Non*, ut, *An juſtitia conſiſtit in mediocritate?*

Argumentum eſt, per quod Quæſtio concluditur. ut, *Virtus*. Alias *Medium* dicitur.

Hinc Concluſio nunquam negan-da eſt.

Forma Syllogiſmi eſt legitima ejus diſpoſitio. id eſt, talis, per quam ex veris præmiſſis falſa concluſio inferri non poſſit.

Verſiculi.

Ex falſis falſum, verumque aliquando ſequetur:
Ex veris poſſunt non niſi vera ſequi.

Propoſitiones in omni Syllogiſmo tres ſunt: duæ Præmiſſæ (Major ſcilicet & Minor) & Concluſio.

Præmiſſæ ſunt Antecedens Syllogiſmi, unde Concluſio infertur.

Major eſt prior præmiſſarum, in quâ vel tota quæſtio, vel ſaltem prædicatum ejus, cum argumento diſponitur. Aliàs dicitur *Propoſitio*. ut, *Omnis virtus conſiſtit in mediocritate.* Minor

Minor eſt altera præmiſſarum, quæ vel ex Majore, vel ad Majorem aſſumitur. Aliàs dicitur *Aſſumptio.* ut, *Juſtitia eſt virtus.*

Concluſio eſt Conſequens Syllogiſmi, ſive ipſa Quæſtio ex præmiſſis illata. Aliàs dicitur *Complexio.* ut, *Juſtitia conſiſtit in mediocritate.*

Crypſes.

Aliquando hic naturalis ordo propoſitionum turbatur, idq; variè. viz.

1 Major, Ergo Concluſio, Quia Minor.
2 Minor, et Major, Ergo Concluſio.
3 Minor, Ergo Concluſio, Quia Major.
4 Concluſio, Quia Major, et Minor.
5 Concluſio, Quia Minor, et Major.

Aliquando proponuntur Præmiſſæ tantùm, & omittitur Concluſio, tanquam ſponte ſequens, & cuivis nota. ut, *Omnis virtus conſiſtit in mediocritate. Juſtitia eſt virtus.* Ergo.

De aliis Crypſibus vide Cap. 36. & ſequentia.

CAP. XXI.

De Syllogiſmo ſimplice ſive categorico.

Syllogiſmus eſt vel Simplex ſive categoricus, vel Compoſitus ſive hypotheticus.

Categoricus ſive ſimplex Syllogiſmus eſt, cujus omnes propoſitiones ſunt categoricæ. ut in exemplo ſuprà dato, *Omnis virtus* &c.

Hic & brevior, & plenior, & evidentior, & artificioſior, & omnibus numeris perfectior eſt, quovis Syllogiſmo hypothetico. Itaq; & accuratiùs diſcendus & frequentiùs uſurpandus eſt.

In hoc partes Quæſtionis (quæ *Extrema* dicuntur) ſeorſim in præmiſſis Medio tanquam menſuræ ſuæ, applicantur: Et ex Medii ſive conſenſione cum utroque Extremo, ſive diſſenſione ab eorum altero, colligitur Extremorum conſenſio aut diſſenſio inter ſe.

Medium igitur bis in Præmiſſis capitur, nunquam in Concluſione: Extremorum utrumque ſemel in Præmiſſis, ſemel in Concluſione. Syllogiſmus

Syllogiſmus categoricus eſt, 1. Affirmatus vel Negatus. 2. Univerſalis, vel Particularis. De ſingulari enim Syllogiſmo dicetur ſeorſim Cap. 29.

Affirmatus Syllogiſmus eſt, cujus omnes propoſitiones ſunt affirmatæ.

Negatus eſt, cujus Concluſio eſt negata, Præmiſſarum altera affirmata altera negata.

Univerſalis eſt, cujus omnes propoſitiones ſunt univerſales.

Particularis eſt, cujus Concluſio eſt particularis vel ſingularis, Præmiſſarum altera ſaltem univerſalis.

Regulæ generales Syllogiſmorum categoricorum hæ ſunt.

1. Sint tantùm tres termini. id eſt, duæ partes Quæſtionis, & Medium.

2. Prædicatum quæſtionis diſponatur cum Medio in Majore, Subjectum quæſtionis in Minore. pa. 150. 10. & 171. 8.

3. Ex puris negativis nihil concluditur.

4. Ex puris particularibus nihil concluditur.

5. Concluſio ſequitur deteriorem partem. id eſt, Negatam, & Particularem.

Syllogiſmi categorici diſpoſitio eſt in Figurâ & Modo.

Figura eſt certa debitaq; diſpoſitio Medii.

Figuræ tres ſunt, pro triplici diſpoſitione Medii. Prima,

Prima, in quâ Medium eſt Subjectum in Majore, Prædicatum in Minore.

Secunda, in quâ Medium eſt Prædicatum in utrâq; Præmiſſâ.

Tertia, in quâ Medium eſt Subjectum in utrâque Præmiſſâ.

Verſiculus.

Sub præ Prima, Bis præ Secunda, Tertia Bis ſub.

* Brevius ſic. 1. In prima & 2da major ſit univerſalis. 2. In prima & tertia minor ſit affirmata. 3 In 2da Syllogiſmus ſit [illegible] dalis. 4 In 3a Syllogiſmus ſit particularis.

* Regulæ ſpeciales ſingularum Figurarum.

Primæ. 1. Major ſit univerſalis.

2. Minor ſit affirmata.

Secundæ. 1. Major ſit univerſalis.

2. Concluſio & altera præmiſſarum ſint negatæ.

Tertiæ. 1. Minor ſit affirmata.

2. Concluſio ſit particularis.

Modus eſt debita ratio quantitatis & qualitatis ſingularum propoſitionum, vocalibus. A. E. I. O. indicata.

Modi quatuordecim ſunt.

Primæ Figuræ quatuor, *Barbara, Celarent, Darii, Ferio.*

Secundæ item quatuor, *Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco.*

Tertiæ ſex, *Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.*

Barbara, Celarent, Darii, Ferio. Cesare, Camestres, Festino, Baroco. Tertia Darapti sibi vendicat, Felapton, Adjungens Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Hæc ipſa nomina Modorum continent omnes prædictas Regulas Syllogiſmorum tam

tam generales (exceptis duabus primis) quàm ſpeciales : ità ut contra nullam earum peccari poſſit, ſi Syllogiſmus ſit in debitis Figurâ & Modo.

CAP. XXII.

De Primâ Figurâ.

Bar- ba- ra. *OMne animal vivit.*
Omnis homo eſt animal. Ergo
Omnis homo vivit.

Ce- la- rent. *Nullus habitus eſt à naturâ.*
Omnis virtus eſt habitus. Ergo
Nulla virtus eſt à naturâ.

Da- ri- i. *Quiſquis cupit, eget.*
Aliquis locuples cupit. Ergo
Aliquis locuples eget.

Fe- ri- o. *Nullus injuſtus eſt liberalis.*
Aliquis largus eſt injuſtus. Ergo
Aliquis largus non eſt liberalis.

CAP.

CAP. XXIII.

De Secunda Figura.

Ceſa-re. *Summum bonum non facilè amittitur.*
Divitiæ facilè amittuntur. Ergo
Divitiæ non ſunt ſummum bonum.

Came-ſtres. *Omnis amicus eſt fidelis.*
Nullus adulator eſt fidelis. Ergo
Nullus adulator eſt amicus.

Feſti-no. *Nullus prudens eſt improbus.*
Aliquis doctus eſt improbus. Ergo
Aliquis doctus non eſt prudens.

Baro-co. *Omne animal ſentit.*
Aliquod animatum non ſentit. Ergo
Aliquod animatum non eſt animal.

CAP. XXIIII.

De Tertia Figura.

Darap-ti. *Omnis ſpiritus eſt inviſibilis.*
Omnis ſpiritus eſt ſubſtantia. Ergo
Aliqua ſubſtantia eſt inviſibilis.

Fe-

Fe- *Nullum brutum eſt rationale.*
lap- *Omne brutum eſt animal. Ergo*
ton. *Aliquod animal non eſt rationale.*

Diſ- *Aliquod bellum eſt neceſſarium.*
a- *Omne bellum eſt calamitoſum. Ergo*
mis. *Aliquod calamitoſum eſt neceſſarium.*

Da- *Omnis pius eſt felix.*
tiſ- *Aliquis pius eſt afflictus. Ergo*
i. *Aliquis afflictus eſt felix.*

Bo- *Aliqua caſtigatio non eſt inutilis.*
car- *Omnis caſtigatio eſt injucunda. Ergo*
do. *Aliquod injucundum non eſt inutile.*

Aliquis ἄνομος non est πλεονέκτης, ut Audax, ignavus, ineruditus, ebriosus prodigus &c

Fe- *Nullus ignavus eſt fortis.*
riſ- *Aliquis ignavus eſt robuſtus. Ergo*
on. *Aliquis robuſtus non eſt fortis.*

CAP. XXV.

Quas Quæſtiones ſingulæ Figuræ recipiant: Et, *Quibus Figuris ac Modis ſingulæ Quæſtiones concludi poſſint.*

EX præcedentibus Regulis Syllogiſmorum, adeoque ex ipſis Modorum nominibus,

minibus, eorumque ultimis vocalibus apparet, 1. Quas qnæſtiones ſingulæ Figuræ recipiant. 2. Quibus Figuris ac Modis ſingulæ quæſtiones concludi poſſint.

1. Quas quæſtiones ſingulæ Figuræ recipiant.

Verſiculus.

Omnes Prima, Secunda ſed E. O. Tertiaque I. O.

Id eſt Prima Figura quamlibet quæſtionem admittit: nempe Univerſalem affirmatam in *Barbara*, Univerſalem nēgatam in *Celarent*, Particularem affirmatam in *Darii*, Particularem negatam in *Ferio*. Ideo hæc Figura eſt perfectiſſima.

Secunda Figura omnes & ſolas negatas quæſtiones recipit; nempe Univerſalem negatam in *Ceſare*, *Cameſtres*; Particularem negatam in *Feſtino*, *Baroco*.

Tertia figura omnes & ſolas particulares quæſtiones concludit: nempe, Particularem affirmatam in *Darapti*, *Diſamis*, *Datiſi*; Particularem negatam in *Felapton*, *Bocardo*, *Feriſon*.

2. Quibus Figuris ac Modis ſingulæ quæſtiones

quæſtiones concludi poſſint.

Verſiculi.

A. Primâ concluditur, E. Primâ atque Secundâ.

I. Primâ & Poſtremâ, O. qualibet una Figurâ.

Id eſt, Univerſalis affirmata concluditur ſolummodo in Primâ Figurâ, adeóque in *Barbara*. Secunda enim Figura non admittit affirmatam, nec Tertia univerſalem.

Univerſalis negata in Primâ & Secundâ Figurâ: in Modis *Celarent*, *Ceſare*, *Cameſtres*. In Tertiâ enim Figurâ Concluſio ſemper eſt particularis.

Particularis affirmata in Primâ & Tertiâ Figurâ: Modis, *Darii*, *Darapti*, *Diſamis*, *Datiſi*. In Secundâ enim Figurâ Concluſio ſemper eſt negata.

Particularis negata in qualibet Figurâ: Modis, *Ferio*, *Feſtino*, *Baroco*, *Felapton*, *Bocardo*, *Feriſon*.

CAP.

CAP. XXVI.

De formando Syllogiſmo Categorico, datis Quæſtione & Argumento.

ANtequam Syllogiſmum Categoricum formare inſtituas, conſidera utrùm Quæſtio ſit Univerſalis affirmata, an Univerſalis negata, an Particularis affirmata, an Particularis negata; adeoq; in quâ Figurâ & Modo concludi poſſit: quemadmodum oſtenſum eſt Cap. præcedente.

Hoc præcognito, 1. Junge Prædicatum quæſtionis cum Medio in Majore, Subjectum quæſtionis cum Medio in Minore. 2. Fac ut Medium rectè diſponatur prout ratio Figuræ poſtulat. 3. Obſervetur quantitas & qualitas utriuſque Præmiſſæ prout ratio Modi poſtulat.

Hoc ultimum, ut faciliùs fiat, notandum.

1. De qualitate Præmiſſarum.

Quæſtione affirmatâ, utraque præmiſſa debet eſſe affirmata: ut in *Barbara*, *Darii*, *Darapti*, *Diſamis*, *Datiſi*.

Quæſtione

Quæstione negatâ, Si Medium dissentit à Prædicato quæstionis & consentit cum Subjecto; Major negetur, Minor affirmetur, ut in *Celarent*, *Ferio*, *Cesare*, *Festino*, *Felapton*, *Bocardo*, *Ferison*: Si Medium consentit cum Prædicato quæstionis, & dissentit à Subjecto; Major affirmetur, Minor negetur, ut in *Camestres*, & *Baroco*.

2. De Quantitate Præmissarum.

In Primâ & Secundâ Figurâ, Major semper sit universalis, Minor ejusdem quantitatis cum conclusione.

In Tertiâ Figurâ, utraque præmissa (si fieri potest) sit universalis, ut in *Darapti*, & *Felapton*: Sin minùs, altera saltem sit universalis; id est, vel Major, ut in *Datisi* & *Ferison*, vel Minor, ut in *Disamis* & *Bocardo*.

Eodem modo colligitur Conclusio ex datis præmissis, sumendo scil. Subjectum Conclusionis ex Minore & Prædicatum ex Majore. Conclusio sequatur præmissas, autem deteriorem earum. In 3a autem Figura semper sit particularis, licet ambæ præmissæ sint universales, ut in Darapti & Felapton.

CAP. XXVII.

De Reductione Syllogiſmorum Categoricorum: Et primò de Reductione oſtenſivà.

REductio Syllogiſmorum categoricorum eſt traductio eorum ab unâ Figurâ ad aliam.

Vulgò docetur ſolummodo Reductio Modorum Secundæ & Tertiæ Figuræ ad Modos Primæ.

Sed eadem eſt utilitas, & eadem ferè via reducendi etiam Modos Primæ Figuræ ad Modos Secundæ ac Tertiæ, & Modos ſecundæ ac Tertiæ Figuræ ad ſe invicem.

In omni Reductione duo conſideranda ſunt. 1. Quò. 2. Quomodo quiſque Syllogiſmus reducendus ſit. Et hæc duo ſe mutuò inferunt. Si enim Syllogiſmus reducatur quò oportet, neceſſariò etiam reducetur quomodo oportet: Et contrà, ſi reducatur quomodo oportet, neceſſariò etiam reducetur quò oportet.

Reductio duplex eſt, Oſtenſiva, & Ad impoſſibile. Oſten-

Oſtenſiva Reductio eſt, quâ eadem concluſio ex eodem argumento infertur.

Ut hac viâ Modi Secundæ & Tertiæ Figuræ reducantur ad Modos Primæ, conſiderandum (ut in genere dictum) 1. Quò. 2. Quomodo quiſque Modus reducendus ſit.

1. Quò.

Unuſquisque Modus Secundæ & Tertiæ Figuræ ad illum Modum Primæ Figuræ reducitur, qui incipit ab eâdem literâ C. D. F, ut *Ceſare* et *Cameſtres* ad *Celarent*: *Darapti*, *Diſamis*, *Datiſi*, ad *Darii*: *Feſtino*, *Felapton*, *Feriſon*, ad *Ferio*.

2. Quomodo.

S. vult ſimpliciter verti: P. verò per acci: M. vult tranſponi: C. per impoſſibile duci.

Id eſt, S. notat Simplicem. P. Attenuatam converſionem ejus propoſitionis, juxta quam vocalis ipſum præcedens ſtat. S. in *Ceſare*, *Cameſtres*, *Feſtino*, *Diſamis*, *Datiſi*, *Feriſon*. P. in *Darapti*, *Felapton*.

M. notat Mutationem præmiſſarum, in *Cameſtres*, et *Diſamis*.

C. si alibi sit quàm in initio (ut in *Baroco* et *Bocardo*) significat, eos Modos non posse reduci ostensivè, sed solummodo ad impossibile.

Hinc etiam facilè intelligitur, quâ ratione Modi Primæ Figuræ ad Modos Secundæ et Tertiæ, itemque Modi Secundæ & Tertiæ Figuræ ad se invicem reduci possint.

Generales igitur Regulæ de omnibus hæ sunto.

1. Quò.

Litera prima Modum signat, quòquemq; reducas.

Celarent, Cesare, Camestres
Darii, Disamis, Datisi
Ferio, Festino, Ferison
} ad sè mutuò reducuntur.

Darapti ad *Darii*
Felapton ad { *Ferio* / *Festino* }
} reducitur, sed non è converso.

Barbara, Baroco, Bocardo, non reducuncuntur omnino Ostensivè.

* 2. Quomodo.

Medio nimirum, atque adeò reliquis terminis aliter atque aliter dispositis, per propositionum conversionem, aut etiam præmissarum mutationem.

Usus hujus Reductionis est, tum ut perfectius

* Majorem Prima atq; Secunda Figura: Minorem Prima & Tertia: Utramq; Secunda & Tertia vertunt. Camestres Disamis mutant, Conclusaq; vertunt.

Figuræ { 1.ª & 2.ª / 1.ª & 3.ª / 2.ª & 3.ª } ad se mutuò reducuntur per conversionem { Majoris. / Minoris. / Utriusq; præmissæ. } In Camestres & Disamis Conclusio etiam convertitur, et præmissæ mutantur.

fectiùs teneamus magisque in promptu habeamus omnes Syllogismorum Figuras & Modos, tum etiam ut, cùm plures sint Modi, in quibus Quæstio nostra possit concludi, eum eligamus, in quo aptissimè & commodissimè concludatur.

CAP. XXVIII.

De Reductione ad impossibile.

REductio Syllogismi ad impossibile est, quando ex contradictorio Conclusionis & alterâ Præmissarum concluditur alterius Præmissæ contradictorium, aut (in *Darapti* & *Felapton*) contrarium.

Regulæ vulgò traditæ, sunt (ut dixi) de reductione tantùm Modorum Secundæ & Tertiæ Figuræ ad Modos Primæ. viz.

1. Quò.

Obtineat trahit ad Primos obliqua Secundos.

At duo verba trahunt Ternos, *Certare Tonanti.*

2. Quomodo.

Servat Majorem, variatque Secunda Minorem.

Tertia Majorem variat, servatque Minorem.

Nos autem generaliùs docebimus Reductionem Modorum uniuscujusque Figuræ ad reliquas duas.

1. Quo.

Ad reliquas binas traducas quamq; Figuram.

Barbara, Baroco, Bocardo *Celarent, Festino, Disamis* *Darii, Camestres, Ferison* *Ferio, Cesare, Datisi*	ad se invicem reducuntur.
Darapti ad *Celarent* & *Cesare* *Felapton* ad *Barbara* & *Camestres*	reducitur, sed non è converso

2. Quomodo.

Præ notat Obliqui Majorem, Subq; Minorem.

*juxta 2am Regulam generalem pag. 137. & 1am Reg. de Romando Syllog. pag. 144. Vide pag. 152. in margine.

1. In reducendis Modis Figuræ

Primæ	Contradictorium	nunc Major, nunc Minor.
Secundæ	Conclusionis est	semper Minor.
Tertiæ		semper Major.

2. In reductionibus à Primâ vel ad Primam Figuram, Præmissa quæ non mutatur (id

(id est cujus contradictorium non concluditur) servat etiam locum suum, nempe Major manet Major, Minor manet Minor: in Reductione autem Secundæ ad Tertiam, Minor fit Major; in Reductione Tertiæ ad Secundam, Major fit Minor.

Sed ut nullo errore, nulloque negotio, singulæ Figuræ ad singulas reducantur: ordo propositionum in singulis sic se habeto. viz.

Si reducenda sit Figura

Prima ad
- Secundam.
  - Major.
  - Contradictio cõclusionis.
  - Contradictio Minoris.
- Tertiam
  - Contradictio conclusionis.
  - Minor.
  - Contradictio Majoris.

Secunda ad
- Primam
  - Major.
  - Contradictio conlusionis.
  - Contradictio Minoris.
- Tertiam
  - Minor.
  - Contradictio conclusionis.
  - Contradictio Majoris.

Primam
- Contradictio conclusionis.
- Minor.
- Contradictio (aut in *Darapti* & *Felapton* contrarium) Majoris.

Secundam
- Contradictio conclusionis.
- Major.
- Contradictio (aut in *Darapti* & *Felapton* contrarium) Minoris.

Ex. gr.

Prima Figura.

Bar- *Omne animal vivit.*
ba- *Omnis homo est animal.* Ergo
ra. *Omnis homo vivit.*

Reducitur ad *Baroco* & *Bocardo.*

Ba- *Omne animal vivit.*
ro- *Aliquis homo* (inquis tu) *non vivit.* Er.
co. *Aliquis homo non est animal.*

Bo- *Aliquis homo* (inquis tu) *non vivit.*
car- *Omnis homo est animal.* Ergo
do. *Aliquod animal non vivit.*

Secunda Figura.

Ca- *Omnis amicus est fidelis.*
mes- *Nullus adulator est fidelis.* Ergo
tres. *Nullus adulator est amicus.*

Reducitur

Reducitur ad *Darii* & *Ferison.*

Da- *Omnis amicus est fidelis.* (Ergo
ri- *Aliquis adulator* (inquis tu) *est amicus.*
i. *Aliquis adulator est fidelis.*

Fe- *Nullus adulator est fidelis.* (Ergo
ri- *Aliquis adulator* (inquis tu) *est amicus.*
son. *Aliquis amicus non est fidelis.*

Tertia Figura.

Da- *Omnis pius est felix.*
ti- *Aliquis pius est afflictus.* Ergo
si. *Aliquis afflictus est felix.*

Reducitur ad *Feri*, & *Cesare.*

Fe- *Nullus afflictus* (inquis tu) *est felix.*
ri- *Aliquis pius est afflictus.* Ergo
o. *Aliquis pius non est felix.*

Ce- *Nullus afflictus* (inquis tu) *est felix.*
sa- *Omnis pius est felix.* Ergo.
re. *Nullus pius est afflictus.*

Hinc apparet, quamlibet Quæstionem eodem argumento, quo directè sive ostensivè concluditur, dupliciter etiam concludi posse obliquè, sive ad impossibile: inferendo

Usus hujus Reductionis est, ut qui directum rationis ductum ad verum concludendum non sequatur, pudore falsi & absurdi confundatur.

ferendo scilicet aliquid falsi, absurdi, impossibilis (id est, contradictorium alterius ex veris præmissis) ex contradictorio conclusionis & verâ aliquâ propositione (id est, alterâ ex veris præmissis). Hinc enim sequitur, contradictorium ostensivæ conclusionis esse falsum, absurdum, impossibile (cap. 20.) Atq; inde etiam ipsam conclusionem (id est ipsam Quæstionem) veram esse (cap. 2.)

In Syllogismo ad impossibile, Conclusio quò absurdior, eò melior.

CAP. XXIX.

De Syllogismo singulari sive Expositorio.

SYllogismus singularis sive expositorius est, cujus ambæ præmissæ sunt singulares, Conclusio vel singularis vel particularis.

Hujusmodi Syllogismi, ex Conclusione singulari, sunt in omnibus Figuris. ut,

Prima

Prima Figura.

Aff. *Pater Alexandri est Rex Macedonum.*
Philippus est Pater Alexandri. Ergo
Philippus est Rex Macedonum.

Neg. *Titius non est Sempronius.*
Hic est Titius. Ergo.
Hic non est Sempronius.

Secunda Figura.

Neg. *Cato Major non occidit seipsum.* Joh. 7. 27.
Cato Uticensis occidit seipsum. Ergo
Cato Uticensis non est Cato Major.

Neg. *Petrus est vir bonus.*
Hic non est vir bonus. Ergo
Hic non est Petrus.

Tertia Figura.

Aff. *Venus est Phosphorus.*
Venus est Hesperus. Ergo
Hesperus est Phosphorus.

Neg. *Romulus non est Numa.*
Romulus est primus Rex Romanorum. Ergo
Primus Rex Romanorum non est Numa.

Ex

Ex Concluſione particulari, hic Syllogiſmus Tertiæ Figuræ peculiaris eſt. Et hic ſpeciatim ac propriiſſimè dicitur Syllogiſmus Expoſitorius. ut,

Aff. *Martialis eſt laſcivus.*
Martialis eſt poëta. Ergo
Aliquis poëta eſt laſcivus.

Neg. *Virgilius non eſt laſcivus.*
Virgilius eſt poëta. Ergo
Aliquis poëta non eſt laſcivus.

In Syllogiſmis ſingularibus obſervandæ ſunt omnes regulæ Syllogiſmorum tum generales tum ſpeciales ſupra traditæ cap. 21. niſi quòd pro univerſali propoſitione ponitur ſingularis. Itaque ſimiliter tum formantur, ut Cap. 26. tum reducuntur, ut Cap. 27, 28.

CAP.

CAP. XXX.

De Syllogiſmo Hypothetico ſive Compoſito in genere, ejuſque diviſione.

SYllogiſmus Hypotheticus, ſive compoſitus, eſt, cujus Major eſt hypothetica.

Hic ex unâ parte Majoris vel { poſitâ ponit / ſublatâ tollit } reliquam. { ſublatâ ponit / poſitâ tollit }

Per *Tollere*, hîc intelligimus *Contradicere*. Pro contradictione autem ſæpe ponitur contrarium ut pag. 21. §. 88. 174.

Syllogiſmus Hypotheticus eſt, [1] Conditionalis ſive Connexus, [2] Disjunctus, [3] vel Copulatus.

CAP.

CAP. XXXI.

De Syllogiſmo Conditionali ſive Connexo, ejuſque duobus Modis.

Syllogiſmus Conditionalis ſive Connexus eſt, qui majorem habens Conditionalem affirmatam, vel ex poſito Antecedente ponit Conſequens, vel ex ſublato Conſequente tollit Antecedens.

Hujus itaque duo ſunt Modi.

Primus Modus aſſumit Antecedens & concludit Conſequens. ut,

Si homo es, animal es.
At Homo es:
Ergo Animal es.

Gal. 3. 11, 12, 18. Joh. 7. 27. & 8. 39, 40. 1 Cor. 7. 14. Pſal. 66. 18, 19. Heb. 10. 1, 2, 3. & 11. 5, 6. 2 Tim. 2. 23, 24.

Secundus Modus tollit Conſequens, ut tollat Antecedens. id eſt, aſſumit contradictorium Conſequentis, & concludit contradictorium Antecedentis. ut,

Si ſentit, vivit.
At Non vivit.
Ergo non ſentit.

Prior Modus reſpondet Primæ Figuræ Categoricorum, Secundus Secundæ.

Utraque autem ad alterum reducitur converſa Majori per contrapoſitionem.

CAP.

CAP. XXXI.

*De Syllogismo Disjuncto *ejusq; unico Modo.*

* Vide Rob. Saundersoni Logic. pt. 3ª cap. 9. pa. 149. Hunnei Logic. pag. 257.

SYllogismus Disjunctus est, qui Majorem habens Disjunctam affirmatam, ex unâ parte sublatâ ponit reliquam, id est, assumit contradictorium unius partis, & concludit reliquam. ut,

Aut dies est, aut nox est.
At Dies non est.
Ergo nox est.
vel,
At Nox non est.
Ergo Dies est.

Similiter ex pluribus membris. ut,

Aut pugnandum, aut fugiendum, aut serviendum est.
At Non pugnandum, aut fugiendum est.
Ergo Serviendum est.
vel
Non pugnandum, aut serviendum.
Ergo Fugiendum est.
vel
Non fugiendum aut serviendum.

Ergo

Ergo Pugnandum est.

vel

Non pugnandum.

Ergo Fugiendum aut serviendum est.

vel

Non fugiendum.

Ergo Pugnandum aut serviendum est.

vel

Non serviendum.

Ergo Pugnandum aut fugiendum est.

Eâdem ratione poni potest 3us & 4tus modus Syllogismi Conditionalis et 2dus modus Copulati.

Ponitur ab aliis Secundus Modus Syllogismi Disjuncti: qui scilicet ex unâ parte positâ tollat reliquam. ut

Aut dies est, aut nox est.

At Dies est.

Ergo Nox non est.

Sed hîc Modus nititur eo supposito, *E disjunctis unicum esse verum*: Et (quod inde sequitur) *Disjunctam affirmatam æquipollere Copulatæ negatæ ex iisdem partibus.* Quorum utrumque falsum esse, ostensum est suprà Cap. 13. & 16.

Hoc igitur Modo Syllogismi Disjuncti rejecto, retinebimus (quem ipsi putant ei æquivalere) Syllogismum Copulatum, Capite sequente.

Aut, si propositionem Copulatam negatam in Disjunctam affirmatam mutare cupimus

cupimus: debet esse ex singulis partibus contradictoriis, ut suprà docuimus Cap. 16. Atque ità recidet in Modum Syllogismi Disjuncti jam dictum, qui ex unâ parte sublatâ ponit reliquam. ut,

Aut dies non est, aut nox non est.
At dies est.
Ergo Nox non est,

CAP. XXXIII.

De Syllogismo Copulato, ejusq; unico Modo.

SYllogismus Copulatus est, qui Majorem habens Copulatam negatam, ex unâ parte positâ tollit reliquam. id est, assumit unam partem, & concludit contradictorium reliquæ. ut, 1 *Cor.* 10. 21.

Non & Sol, & Terra est centrum mundi.
At Sol est centrum mundi.
Ergo Terra non est centrum mundi.
vel
At Terra est centrum mundi.

Ergo Sol non est centrum mundi.

Similiter ex pluribus membris.

Non & pauper, & pius, & doctus est.
At pauper & pius est.
Ergo Doctus non est.
vel
Pauper & doctus est.
Ergo Pius non est.
vel
Pius & doctus est.
Ergo Pauper non est.
vel
Pauper est.
Ergo Non & pius & doctus est.
vel
Pius est.
Ergo Non & pauper & doctus est.
vel
Doctus est.
Ergo Non & pauper & pius est.

Non autem possumus hîc (ut in Disjuncto Syllogismo) ex unâ parte sublatâ reliquam ponere. viz.

Non & Sol & Terra est centrum mundi.
At Sol non est. Ergo Terra est. vel
At Terra non est. Ergo Sol est.

Unde

Unde iterum apparet, multum differre Copulatam negatam & Disjunctam affirmatam ex iisdem partibus.

CAP. XXXIV.

De Reductione Syllogismorum Hypotheticorum ad se invicem, & ad Categoricum.

QUivis Syllogismus Hypotheticus in quemvis alium Hypotheticum mutari potest, mutando Majores inter se (ut suprà ostendimus Cap. 16.) Minoribus & Conclusionibus iisdem manentibus. Ex.gr.

Conditionalis primi Modi.

Si homo es, animal es.
At Homo es.
Ergo Animal es.

Conditionalis ſecundi Modi.

Si non es animal, non es homo.
At Homo es.
Ergo Animal es.

Disjunctus.

Aut homo non es, aut animal es. (vel, *Aut animal es, aut homo non es*)
At Homo es.
Ergo animal es.

Copulatus.

Non & homo es, et animal non es. (vel, *Non & animal non es & homo es.*)
At Homo es.
Ergo Animal es.

Similiter etiam mutari poteſt quilibet horum in Syllogiſmum Categoricum, ſi Major mutari poteſt in propoſitionem Categoricam. ut,

Omnis homo eſt animal.
At Homo es.
Ergo animal es.

CAP.

CAP. XXXV.

De Reductione Syllogiſmorum Categoricorum ad Hypotheticos.

QUanquam Syllogiſmus Categoricus (ut ſuprà dictum Cap. 21.) omnibus modis perfectior eſt quovis Syllogiſmo Hypothetico: tamen quia Syllogiſmus aliâ atq; aliâ formâ propoſitus rem magis illuſtrat & confirmat, & quia ejuſmodi variatio celat artem, & denique quia varietas ipſa per ſe grata eſt, utpote tollens ſatietatem, quæ ex perpetuâ ſimilitudine oritur; ideo non inutile erit oſtendere, quo pacto quilibet Syllogiſmus Categoricus ad quemlibet Syllogiſmum Hypotheticum reduci poſſit.

Hinc etiam facile deteguntur vitium (ſi quod ſit) in Syllogiſmo Categorico. Sic per Enthymema Cap. 37. pag 172.

Reducitur autem Categoricus Syllogiſmus ad Hypotheticum vel imperfectè, id eſt, ex alterâ tantùm præmiſſarum cum concluſione, vel perfectè, nempe ex utrâque.

Utroutro modo fiat, Syllogiſmi Categorici præmiſſa (alterutra ſcilicet vel utraq)

que) erit Minor Syllogiſmi Hypothetici, Concluſio eadem : Major autem Syllogiſmi Hypothetici, variabitur pro variis ejus ſpeciebus. viz.

Conditionalis primi Modi.

Si Præmiſſa, tum Concluſio. Si Syllogiſmi Categorici Præmiſſa (alterutra, vel utraque copulata) vera eſt, vera etiam eſt Concluſio.

Conditionalis ſecundi Modi.

Si Contradictorium Concluſionis, tum Contradictorius Præmiſſæ. Si falſa eſt Concluſio, falſa eſt Præmiſſa (alterutra, vel altera è disjunctis.)

Disjuncti.

Aut Concluſio, aut Contradictorium Præmiſſæ. Aut vera eſt Concluſio, aut falſa eſt Præmiſſa (alterutra aut altera è diſjunctis.)

Copulati.

Non & Præmiſſa & Contradictorium Concluſionis. Non & vera eſt Præmiſſa (alterutra, vel utraque copulata) & falſa eſt Concluſio.

Exempli gratiâ, Sit Syllogiſmus Categoricus in *Barbara*.

Omne animal vivit.
Omnis homo eſt animal.
Ergo Omnis homo vivit.

Reducitur

Reducitur ad ſingulas ſpecies & Modos Syllogiſmi Hypothetici tripliciter: viz. ex Majore tantùm, ex Minore tantùm, vel ex utrâque præmiſſâ ſimul.

Si ex unâ tantum præmiſſa procedat Syllogiſmus Hypothetici, alterâ præmiſſa probat Majorem

Ex. gr. Si omne animal vivit, tum omnis homo vivit. Quia omnis homo est animal

Vel Si omnis homo est animal, tum omnis homo vivit. Quia omne animal vivit.

vide pag. 171. marg.

1. Ex Majore tantùm.

Conditionalis primi Modi.

Si Omne animal vivit, Omnis homo vivit.
At Omne animal vivit.
Ergo Omnis homo vivit.

Conditionalis ſecundi Modi.

Si aliquis homo non vivit, tum Aliquod animal non vivit.
At Omne animal vivit.
Ergo Omnis homo vivit.

Disjunctus.

Aut Omnis homo vivit, aut Aliquod animal non vivit.
At Omne animal vivit.
Ergo Omnis homo vivit.

Copulatus.

Non & Omne animal vivit, & Aliquis homo non vivit.
At Omne animal vivit.

Ergo Omnis homo vivit.

2. Ex Minore tantùm.

Conditionalis primi Modi.

Si Omnis homo eſt animal, Omnis homo vivit.
At Omnis homo eſt animal.
Ergo Omnis homo vivit.

Conditionalis ſecundi Modi.

Si Aliquis homo non vivit, Aliquis homo non eſt animal.
At Omnis homo eſt animal.
Ergo Omnis homo vivit.

Disjunctus.

Aut Omnis homo vivit, aut Aliquis homo non eſt animal.
At Omnis homo eſt animal.
Ergo Omnis homo vivit.

Copulatus.

Non & Omnis homo eſt animal, & Aliquis homo non vivit.
At Omnis homo eſt animal.
Ergo Omnis homo vivit.

3. Ex.

3. Ex utrâque præmissâ simul.

Conditionalis primi Modi.

Si Omne animal vivit, & Omnis homo est animal, tum Omnis homo vivit.
At Omne animal vivit, & Omnis homo est animal.
Ergo Omnis homo vivit.

Conditionalis secundi Modi.

Si Aliquis homo non vivit, tum aut Aliquod animal non vivit, aut Aliquis homo non est animal.
At Omne animal vivit, & Omnis homo est animal.
Ergo Omnis homo vivit.

Disjunctus.

Aut Omnis homo vivit, aut Aliquod animal non vivit, aut Aliquis homo non est animal.
At Omne animal vivit, & Omnis homo est animal.
Ergo Omnis homo vivit.

Copulatus.

Non & Omne animal vivit, & Omnis homo est animal, & Aliquis homo non vivit.
At Omne animal vivit, & Omnis homo est animal. *Ergo*

Hinc apparet Syllogismum Hypothticum nihil aliud esse nisi Enthymema bis Syllogismum Categoricum hypothtum.

Ergo Omnis homo vivit.

Similiter quivis alius Syllogiſmus Categoricus, cujuſcunq; Figuræ aut Modi, duodecim modis reduci poteſt ad Syllogiſmos Hypotheticos; id eſt, ad ſingulos ex quatuor Modis Hypotheticorum triplici ratione. Totidem etiam modis quivis Syllogiſmus categoricus reducitur ad impossibile hypothetice ut servando [illegible] majores, & ponendo contradictoriam conclusionis [illegible] & contradictorium præmissæ (alterius aut utriusque disjunctæ) pro Conclusione Ex. gr. Si omne animal vivit, omnis homo vivit. At (inquis tu) Aliquis homo non vivit. Ergo Aliquod animal non vivit. Vel sic Si aliquis homo non vivit, aliquod animal non vivit. At (inquis tu) Aliquis homo non vivit. Ergo Aliquod animal non vivit. Et sic in reliquis.

CAP. XXXVI.

De aliis, quæ dicuntur, Argumentationum formis.

PRæter Syllogiſmum addi ſolent à Dialecticis aliæ etiam formæ Argumentationum: quæ tamen omnes ferè nihil aliud ſunt, niſi aut Crypſes Syllogiſmorum, aut ſpecialia quædam capita Argumentorum, non nova genera Argumentationum.

Harum formarum ſolenniores, & quæ nomen aliquod obtinuerunt, hæ ſunt. 1. *Enthymema.* 2. *Proſyllogiſmus.* 3. *Inductio.* 4. *Exemplum.* 5. *Sorites.* 6. *Dilemma.* 7. *Biaion.* De quibus ordine.

CAP.

CAP. XXXVII.

De Enthymemate.

ENthymema est imperfectus sive contractus Syllogismus, alteram tantùm præmissam Conclusioni connectens. Rom. 13. 10, 12.

Præmissa illa dicitur *Antecedens* Enthymematis, Conclusio *Consequens*. * pag. 137. 18.

Si Prædicatum conclusionis sit in Præmissâ sive Antecedente, illa præmissa est Major, & deest Minor Syllogismi Categorici. ut, Præmissa, quæ omittitur, probatur Consequentiâ. Ex. gr. Omne animal vivit. Ergo Omnis homo vivit. Quia omnis homo est animal. Vide pag. 167. in margine.

Omne animal vivit.
Ergo Omnis homo vivit.

Si Subjectum conclusionis sit in Præmissâ, illa præmissa est Minor, & deest Major. ut

Omnis homo est animal.
Ergo Omnis homo vivit.

Ex Hypothetico Syllogismo fere deest Major. ut,

Dies est.
Ergo Nox non est.

Deest Major, *Si dies est, nox non est.*
vel, *Si nox est, dies non est.*

vel,

vel, *Aut dies non est, aut nox non est.*
vel, *Non & dies est, & nox est.*

Quilibet etiam Syllogismus contrahi potest in propositionem causalem inversam, subjiciendo Quæstioni Majorem vel Minorem pro ratione. Quod nihil aliud est, nisi Enthymema inversum. ut, *Omnis homo vivit*: *Quia Omne animal vivit.* vel, *Omnis homo vivit*: *Quia Omnis homo est animal.*

* quemadmodum utraque subjicia potest pag. 135. Mod. 4. & 5.

Sic in Hypotheticis, *Nox non est*: *Quia Dies est.*

Particulari Quæstioni subjicitur Argumentum pro Exemplo. Ex. gr. *Aliquis locuples eget*: *ut, Qui cupit. Aliquis doctus non est prudens*: *ut, Improbus. Aliqua substantia est invisibilis*: *ut, Spiritus.*

In consequentia ~~simplici~~ Categorica Paralogismus facile detegitur si reducatur ad Enthymema. ut supra reducendo ad Syllogismum Hypotheticum cap. 35. pag. 165. in marg. In omni enim vero Syllogismo Categorico ultra duas premissa infert Conclusionem, quia altera subintelligenda probet consequentiam (pag. 171. in marg.) Quod si non facit, paralogismus apparet esse manifestus. Vide exempla ad singulos species.

CAP.

CAP. XXXVIII.

De Prosyllogismo.

PRosyllogismus est, qui principali Syllogismo additur ad probandam Majorem vel Minorem. ut,

Omnis virtus consistit in mediocritate: sicut vitia in excessu & defectu. At Justitia est virtus. Ergo Justitia consistit in mediocritate. Major probatur à Contrariis, vel à Pari.

Vel, *Omnis virtus consistit in mediocritate. At Justitia est virtus: ut omnes fatentur. Ergo Justitia consistit in mediocritate.* Minor probatur à Testimonio communi.

Vel ambobus conjunctis. *Omnis virtus consistit in mediocritate: sicut vitia in excessu et defectu. At Justitia est virtus: ut omnes fatentur. Ergo Justitia consistit in mediocritate.*

Syllogismus cum Prosyllogismis à quibusdam dicitur, *Syllogismus rhetoricus*, sive *oratorius*. Vide Ciceron. lib. 1. de Invent. fol. 53, 54. Et Quintilian. lib. 5. cap. 14.

Huc

Joh. 8. 39, 40. & 15. 15. Huc pertinet, cùm loco Assumptionis, aut etiam Conclusionis, ponitur utriusvis probatio: ut cùm assumitur aut concluditur Majus pro Minore, Minus pro Majore, Contrarium affirmatum pro Negato, &c. ut,

Qui cuique tribuit quod ipsius est, justus est.
At liberalis etiam de suo aliis benefacit.
Ergo liberalis bonus est (non tantùm justus.)
Contrà. *Vir bonus de suo benefacit aliis.*
At avarus ne quidem tribuit aliis quod ipsorum est, sed aliena per vim & fraudem rapit.
Ergo Avarus ne justus quidem est (nedum vir bonus.)
Eclipsis naturalis solis semper est in novilunio.
At Eclipsis solis, quæ erat in passione Christi, erat in plenilunio.
Ergo Eclipsis illa erat miraculosa.

Summum bonum est proprium: Honor est alienum bonum. Item, *Summum bonum difficulter auferetur: Honor facilè.* Item, *Summum bonum expetitur propter se: Honor propter opinionem virtutis. Ergo Honor non est summum bonum.*

Sic arguit Chremes apud Terent. Eunuch.

Mea

Mea soror annos nata est sedecim, non major. Thais, ego quàm sum, majuscula est.

CAP. XXXIX.

De Inductione.

INductio est Argumentatio ab omnibus partibus ad Totum.

Estque vel à Membris ad Integrum, vel à Speciebus ad Genus.

Utraq; est vel Affirmativa, vel Negativa.

1. A Membris ad Integrum.

Plebs, Equester ordo, Senatus optimè de Milone sentit. Ergo Totus populus Romanus optimè de Milone sentit.

2. A Speciebus ad Genus.

Non invidendum omnis [illegible] Ergo [illegible] Exempla negat. Vide Cic. Topic. 221. b. Et 47. a. Et [illegible] Lacco. [illegible] Et Ep. 79. a. Negat. Exod. 32. 18. Et 2. R. 30. b. Et pro 2. R.

Homo sentit, & Brutum sentit. Ergo Omne animal sentit.

Neg. Homo non est insensibilis. Brutum non est insensibile. Ergo Nullum animal est insens.

Si non possunt omnes partes enumerari, enumerentur aliquammultæ, & addatur hæc

Non datur actu infinitum in quantitate continua, nec in discreta. Ergo in nulla.

hæc clauſula [*Nec in cæteris contrarium eſt videre.*] Quam ſi neget adverſarius, oportet eum, ſi candidè agere velit, dare inſtantiam in contrarium.

Diſſolvitur Inductio, ſi contra vel unam aliquam partem (ſive ex iis, quæ exprimuntur, ſive ex iis, quæ non exprimuntur) excipi poteſt.

CAP. XL.

De Exemplo.

EXemplum eſt Argumentatio vel à ſpeciali ad Genus, vel ab uno ſpeciali ad aliud ſimile.

1. A ſpeciali ad Genus.

Cæſar pepercit Ciceroni & aliis. Ergo Victor aliquando parcit hoſtibus bello ſuperſtitibus.

Hoc nihil aliud eſt, niſi Syllogiſmus expoſitorius ſive ſingularis contractus ad formam Enthymematis.

2. Ab uno ſpeciali ad aliud ſimile. *Act.* 5. 36, 37, 38.

Cæſar pepercit Ciceroni inimico ſuo. Ergo Peperciſſet etiam Catoni inimico ſuo.

Hîc ſimilitudo eſt cauſa conſequentiæ.

Fortiùs arguit Exemplum, ſi ſit non tantùm Simile, ſed etiam Par, Majus, Minus. ut, *ſi Cæſar æquè aut etiam magis infenſus fuerit Ciceroni quàm Catoni*; vel, *ſi pares tantùm aut etiam minores rationes habuerit parcendi Ciceroni quàm Catoni.* Quo plura exempla afferuntur, eò promptius accedit ad Inductionem. Est a quibusdam appellatur Inductio. *Topic.* 224.

Si reliqua omnia Exempla ejuſdem generis aſſerantur, præter id quod in Concluſione infertur; Argumentatio valde probabilis eſt: ſed non concludit univerſaliter, aut neceſſariò, ut Inductio. Ex. gr. *Auditus, Olfactus, Guſtus, Tactus, (id eſt, reliqui omnes ſenſus præter Viſum) fiunt intromittendo. Ergo & Viſus eodem modo fit.*

Diſſolvitur Exemplum, oſtenſâ diſſimilitudine rationis inter id, quod infertur, & ea, ex quibus infertur. ut, *Animæ beſtiarum, volucrium, piſcium, & denique omnium animantium, præter hominem, ſunt mortales. Ergo etiam Anima hominis eſt mortalis.* Reſp. *Non ſequitur: quia diſſimilis ratio eſt Animæ hominis & animarum reliquarum animantium. Longè enim altior &*

divinior eſt illius, quàm harum, natura & origo.

CAP. XLI.

De Sorite.

Sorites eſt coacervata ſeries argumentorum, quâ Prædicatum vel Conſequens propoſitionis præcedentis fit Subjectum vel Antecedens propoſitionis ſequentis, atque ità tandem ultimum Prædicatum ſive Conſequens de primo Subjecto ſive Antecedente concluditur. ut,

Homo eſt animal. Animal eſt animatum. Animatum eſt corpus. Corpus eſt ſubſtantia. Ergo Homo eſt ſubſtantia.

Vel Hypotheticè, *Si homo eſt, animal eſt, Si animal eſt, animatum eſt. Si animatum eſt, corpus eſt. Si corpus eſt, ſubſtantia eſt. Ergo, Si homo eſt, ſubſtantia eſt.*

Quot ſunt propoſitiones ultra tres, tot ſunt etiam nova Media, adeoque tot Proſyllogiſmi.

Qui novit Syllogiſmum componere, facilè etiam noverit Soriten in Syllogiſmum & Proſyllogiſmos convertere, idque varié.

CAP.

CAP. XLII.

De Dilemmate.

Dilemma eſt Argumentatio utrinque adverſarium capiens. Ex. gr. Act. 5. 38, 39. Marc. 11. 30, 31, 32.

Plutarch. de vitandâ uſurâ. *Habes? Ne fœnereris, quia non opus eſt: Non habes? Ne fœnereris, quia ſatisfacere non poteris.*

Chremes Terent. Heautont. *Vel me monere hoc, vel percontari puta. Rectum eſt? Ego ut faciam: Non eſt? Te ut deterream.*

Boët. de Conſol. lib. 4. *Nemo odio habendus: Boni enim diligendi, mali miſerandi ſunt.*

Epictet. cap. 32. *Eſt tibi prælatus aliquis in convivio? &c. Si quidem iſta bona ſunt, gratulari debes illi, cui ea contigerunt: ſin mala, ne doleas te in ea non incidiſſe.*

Idem cap. 57. *Nihil clàm facito. Nam ſi perperam facis, rem ipſam fuge: Sin rectè, quid eos vereris, qui non rectè reprehendunt?*

Cic. in Ver. 139. *Si honoris cauſà ſtatuam dederunt; inimici non ſunt, credamus*

testibus: Sin metu coacti dederunt; confiteare necesse est, te in provinciâ pecuniam statuarum nomine per vim ac metum coëgisse. Utrum tibi commodum est, elige.

Senec. Hippolyt. 1179. *Morere, si casta es, viro: si incesta, amori.*

Joh. 18. 23. *Si malè locutus sum, testare de malo: sin autem bene, q id me cadis?*

Ad Mat. 28. 13. *Si dormiebant milites, quomodo sciebant discipulos furatos esse corpus Christi? si vigilabant, cur sinebant?*

In omni Dilemmate, 1. Disjunctio proponitur, & quasi optio datur adversario, utram partem eligere velit. 2. Quamcunque partem elegerit, ex illâ nostra sententia confirmatur, illius refutatur.

* aut saltem supponitur.

Ut Dilemma validum sit. 1. Disjunctio debet esse sine medio. 2. Consequentia, sive illatio ex utrâque parte debet esse firma.

Contrà, Dissolvitur Dilemma, 1. Dando medium. 2. Negando consequentiam sive illationem ex utrâvis parte. Ex. gr.

Si duxeris uxorem: duces aut formosam, aut deformem. Si formosam, habebis communem: si deformem, habebis molestam. Ergo Nulla ducenda est.

Resp. 1. *Negatur disjunctio. Non enim*

necesse

neceſſe eſt, ut aut formoſam aut deformem ducas, ſed mediocris formæ. 2. Utraque illatio infirma eſt. Neque enim, ſi formoſa eſt, ſtatim communis erit: neque, ſi deformis, ideo moleſta.

Verùm non requiritur ad diſſolvendum Dilemma, ut hæc omnia vitia in eo oſtendantur: ſufficit, ſi unum aliquod inſit, id eſt, ſi vel Disjunctio, vel altera Conſequentiarum falſa ſit.

Dilemmati quomodo reſpondeatur per Biaion, vide Capite ſequente.

CAP. XLIII.

De Biaio.

BIaion eſt, quando adverſarii argumentum in ipſum retorquetur.

Hoc fit variis modis, præcipuè quatuor.

Primus modus.

Primus modus (qui & frequentiſſimè

hoc nomine appellatur) est, quando ex argumento adversarii* infertur contradictorium conclusionis ejus. ut,

* Semper autem parata esse debet ratio, qua probetur consequentia nostra.

Ob. *Nolo philosophari, quia nobilis sum.*

Retorq. *Imò eò magis debes philosophari, quia nobilis es: ut dignum genere animum habeas, &c.*

Cic. in Ver. 64. Dixerat Cæcilius, *se potiùs, quàm Ciceronem, debere accusare Verrem, quia Quæstor ejus fuerat.* Retorquet Cicero, *Imò hæc causa gravis esset, si certares mecum uter nostrûm illi amicior esset: in contentione suscipiendarum inimicitiarum ridiculum est putare, causam necessitudinis ad inferendum periculum justam videri oportere.*

Idem de Senect. 85. *Sequitur tertia vituperatio senectutis, quòd eam carere dicant voluptatibus.* Retorq. *O præclarum munus ætatis, si quidem id aufert à nobis, quod est in adolescentiâ vitiosissimum!*

Ob. *Non benefaciam pauperibus, quia non possunt mihi retribuere.* Retorq. *Imò eò magis eis est benefaciendum, quia non possunt tibi retribuere: retribuetur enim tibi à Deo.* Luc. 14. 14.

Luc. 19. 20, 21, 22, 23. *Ex ore tuo te judico serve nequam.* &c.

Terent. Prolog. in Adelph.

Nam

Nam quod iſti dicunt malevoli, Homines nobiles
Eum adjutare, aſſiduéque unà ſcribere:
Quod illi maledictum vehemens exiſtimant,
Eam laudem hic ducit maximam; cum illis placet,
Qui vobis univerſis & populo placent.

Hoc modo retorquetur Dilemma; cùm eadem Disjunctio proponitur, & ex utrâq; ejus parte contradictorium concluſionis adverſarii infertur. ut

Ob. *Annona aut cara, aut vilis eſt. Si cara; non dabo pauperibus, quia non poſſum ſine magnâ impenſâ id facere: ſi vilis; non dabo, quia ipſi non multùm indigent.* Retorq. *Annona aut cara, aut vilis eſt. Si cara; debes dare pauperibus, quia ipſi tum maximè indigent: Si vilis; dabis, quia potes dare ſine magnâ impenſâ.*

Tale eſt illud exemplum Antigoni & Cynici apud Senecam, de Beneficiis lib. 2. cap. 17.

Et illud Protagoræ & Eualthi diſcipuli ejus, apud A. Gellium, lib. 5. cap. 10. *Vel (ut alii) Coracis & Tiſiæ. Vide Erasm. adag. Malis corvi malum ovum. Cic. ad Heren. fol. 15.*

Cic. in Ver. 113. b.

Secundus modus.

Secundus modus eſt per Retaliationem: cùm ſcilicet ex adverſarii argumento, ejuſve pari, abſurdum aliquod eâdem ratione infertur. ut,

Ob. *Totus homo generatur: Ergo Anima generatur.* Retorq. *Eâdem ratione, Totus homo moritur: Ergo Anima moritur.*

Ob. *Bruta edunt opera artificioſa: Ergo ſunt rationalia.* Retorq. *Eâdem ratione, Terra & plantæ edunt opera artificioſa: Ergo ſunt participes rationis.*

Ob. *Dextra Dei eſt ubique: Humana natura Chriſti eſt ad dextram Dei. Ergo Humana natura Chriſti eſt ubique.* Retorq. *Eâdem ratione, Præſentia Dei eſt ubique: Tu es in præſentiâ Dei. Ergo Tu es ubique.*

Primaſius Præfat. in Epiſtolas. *Si Epiſtola ad Hebræos ideo Pauli non erit, quia ejus non habet nomen: nec alicujus erit, quia nullius nomine titulatur.*

Hoc etiam modo retorquetur Dilemma: cùm eadem aut ſimilis Disjunctio proponitur, & eâdem ratione ex utrâque ejus parte abſurdum aliquod concluditur. Ex. gr.

Auguſtin.

Augustin. Epist. 6. ad Italicam. Objecerat hæreticus *Potuit Christus carni suæ præstare ut corporeis oculis videret Patrem? an non potuit? Si non potuit, non est omnipotens: Si potuit, tum Deus potest corporeis oculis videri.* Retorq. Augustinus. *Potuit Christus carnem suam convertere in substantiam Dei? an non potuit? Si non potuit, non est omnipotens: Si potuit, tum potest caro Christi converti in substantiam Dei. Quo modo* (inquit) *exierint ex hoc laqueo alieno, sic exeant de suo.*

Ibid. Epist. 11. quæ est Hieronymi ad Augustinum. Objecerat Augustinus contra novam Veteris Testamenti versionem ex Hebræo. *Aut obscura fuerunt, quæ interpretati sunt Septuaginta, aut manifesta. Si obscura, te quoque in eis falli potuisse credendum est: Si manifesta, illos in eis falli non potuisse credendum est.* Retorquet Hieronymus. *Tuo tibi sermone respondeo. Omnes veteres tractatores, qui Scripturas interpretati sunt, aut obscura interpretati sunt, aut manifesta. Si obscura: quomodo tu post eos ausus es disserere, quod illi explanare non potuerunt? Si manifesta: superfluum est te voluisse disserere, quod illos latere non potuit. --- Humanitatis* (inquit) *tuæ est, in quo veniam tibi tribuis, indulgere & cæteris.*

Hoc

Hoc modo retorqueri poteſt quivis Syllogiſmus peccans formâ.

Tertius modus.

Tertius modus eſt, quando ex contradictorio argumenti adverſarii infertur contradictorium concluſionis ejus. ut

Ob. *Non ſentit: Ergo Mortuus eſt.* Retorq. *Sentit: Ergo non eſt mortuus.*

Ob. *Dives ſum: Ergo non neceſſe eſt ut laborem,* Retorq. *Dives non es* (vel, *Pauper es:*) *Ergo Neceſſe eſt ut labores.*

Ob. *Cor, non cerebrum, eſt principium nervorum: Ergo Cor, non cerebrum, eſt commune ſenſorium.* Retorq. *Cerebrum, non cor, eſt principium nervorum: Ergo, Cerebrum non cor, eſt commune ſenſorium.*

Judæi Joh.7.41,42. ſic arguebant. *Jeſus non eſt natus Bethleemæ, ſed in Galilæâ: Ergo non eſt natus, ubi Chriſtum naſci oportet.* Retorq. *Jeſus natus eſt non in Galilæâ, ſed Bethleemæ: Ergo natus eſt, ubi Chriſtum naſci oportuit.*

Quartus modus.

Quartus modus eſt cùm ex contradictorio Concluſionis adverſarii infertur contradictorium

tradictorium Argumenti ejus. Ex. gr.

Ob. *Mortuus est: Ergo Non sentit.* Retorq. *Sentit: Ergo Non est mortuus.*

Ob. *Orbes cœlorum solidi sunt: Ergo Nullus potest esse cometa supra Lunam.* Retorq. *Multi fuerunt cometæ supra Lunam: Ergo Orbes Cœlorum non sunt solidi.*

Ob. *Cœlum movetur ab Intelligentiis: Ergo Non movetur à propriâ formâ.* Retorq. *Cœlum movetur à propriâ formâ: Ergo Non movetur ab Intelligentiis.*

Ob. *Sol est centrum mundi: Ergo Terra non est centrum mundi.* Retorq. *Terra est centrum mundi: Ergo Sol non est centrum mundi.*

Mundus potuit creari ab æterno. Ergo potest dari actu infinitum, scil. infinitus numerus animarum. Retorq. Non potest dari infinitus numerus animarum. Ergo Mundus non potuit creari ab æterno.

CAP.

Hic addi, si libet, tractatum de Demonstratione Item De Paralogismis sive Fallaciis.

CAP. XLIV.

De Disputatione: & primò de Disputatione sociali.

USus tum Syllogismi, tum reliquarum omnium, quæ dicuntur, Argumentationum est ad Disputationem.

Disputatio est quæstionis propositæ agitatio.

Quæstio est vel scisitativa vel dialectica.

Scisitativa quæstio est, ad quam non potest responderi per *Ita*, vel *Non*. ut, quæ fit per *Quis*, *Quid*, *Quot*, *Quotuplex*, *Quantus*, *Qualis*, *Quando*, *Ubi*, *Cur*, *&c.*

Dialectica quæstio est (de quâ diximus Cap. 20.) ad quam responderi potest per *Ita*, vel *Non*. ut, quæ fit per *Ne*, *An*, *Num*, *Utnùm*, &c.

Quæstio dialectica sola est proprium & immediatum subjectum disputationis: scisitativa improprium & mediatum. Ex responso enim ad quæstionem scisitativam nascitur quæstio dialectica sive disputabilis.

bilis. Ex. gr. Sciſc. *Quod eſt centrum mundi?* Reſp. *Terra.* Dialect. *An Terra eſt centrum mundi?*

Quæſtionis disputabilis duæ ſemper ſunt partes, altera affirmata, altera negata, adeoque inter ſe contradictoriæ.

Diſputatio eſt ſocialis vel ſolitaria.

Socialis diſputatio eſt, ubi Diſputantes ſunt duæ diſtinctæ perſonæ.

Diſputantes ſunt, Opponens (qui ſpeciatim appellatur Diſputans) & Reſpondens.

Horum alter affirmatam, alter negatam partem quæſtionis tueri debet, atque adeo uterque alteri contradicere. Sic enim alter, & alter tantùm veritatem tuebitur.

Quæſtio diſputanda eligitur aliquando ab Opponente, aliquando à Reſpondente, aliquando ab aliquo alio: eligere autem utram partem quæſtionis defendere velit, ſemper debet eſſe penes Reſpondentem.

Opponentis officium.

1. Inveniat Argumentum ſive Medium. Hoc fit ducendo utramq; partem quæſtionis per ſingulos Locos inventionis.

2. Concludat partem ſuam (ſive contradictoriam

dictoriam parti Reſpondentis) formâ Syllogiſticâ, &, ſi fieri poteſt, Syllogiſmo categorico, ut docetur Cap. 26.

Brevitatis cauſâ aliquando uti poteſt Enthymemate: ita tamen, ut, ſi requiratur, redigat in Syllogiſmum.

3. Siqua præmiſſa negata fuerit à Reſpondente: eam, quaſi nova quæſtio ſit, novo Medio novoque Syllogiſmo concludat. Eodemq; modo progrediatur à Syllogiſmo ad Syllogiſmum, donec Argumentum ad umbilicum perductum fuerit.

4. Si per diſtinctionem aut limitationem reſponſum fuerit: eas, ſi argumento non ſatisfaciant, tollat; oſtendendo ſcilicet, nihil in Syllogiſmo ſuo dupliciter accipi, vel, ſive hoc ſive illo modo quid accipiatur, tamen Syllogiſmum perinde procedere.

5. Si argumento ſatisfactum fuerit: ne ampliùs litiget; ſed aut quieſcat, aut tranſeat ad aliud argumentum.

Opponenti maximè cavendum, ne propoſitionem veram aut probabilem argumento minùs vero, aut minùs probabili probare inſtituat.

Reſpondentis

Reſpondentis officium.

1. Argumentum Opponentis totum audiat. Nam, *Qui priùs reſpondet, quàm audiat, ei ſtultitia atq; ignominia eſt.* Prov. 18. 13.

2. Totum etiam diſtinctè repetat: idque tum adverſarii gratiâ, ut agnoſcat, nihil in argumento ſuo mutatum eſſe; tum gratiâ auditorum (ſiqui ſunt) ut argumentum meliùs percipiant; tum denique ſui ipſius cauſâ, ut illud meliùs perpendat, meliuſq; conſideret quid reſpondendum ſit.

3. Audito & repetito argumento, breviter & apertè reſpondeat.

Reſpondendi autem varii ſunt modi, alii directi, alii indirecti.

Directè reſpondetur quatuor modis. viz. 1. Rejiciendo totum argumentum tanquam nihil ad quæſtionem. 2. Detegendo vitium in formâ Syllogiſmi. 3. Negando alteram præmiſſarum. 4. Diſtinguendo, vel limitando.

1. Si Opponens aut ab initio non concludat ſuam partem quæſtionis (id eſt, contradictoriam parti Reſpondentis) aut in progreſſu argumenti non probet propoſitionem negatam: Reſpondens rejiciat argumentum tanquam nihil ad rem, nihil ad ſe;

se; neq; ulteriùs examinet vel materiam vel formam Syllogismi.

2. Si Opponens concludat quod concludendum est, sed vitioso Syllogismo: detegat Respondens vitium Syllogismi, ostendendo contra quam regulam peccet; neq; curet utrum præmissæ veræ sint, an falsæ. Nunquam enim respondendum est ad materiam Syllogismi sive præmissas, si peccet formâ.

3. Si forma Syllogismi sit legitima, sed altera præmissarum falsa: illam neget. Si ambæ præmissæ falsæ sint: neget utram ei commodius visum fuerit; aut si liberaliùs cum adversario agere placeat, neget utramque, & permittat ejus arbitrio probare utram velit.

4. Si nec Syllogismus sit manifestè vitiosus, nec præmissa aliqua nudè & simpliciter neganda esse videatur: tunc semper latet aliquid ambigui in terminis vel simplicibus vel conjunctis; quod distinctione vel limitatione solvendum est. Quanquam revera omnis Syllogismus, in quo est aliquis terminus ambiguus, habet implicitè quatuor terminos, adeoq; peccat formâ.

Indirecti modi respondendi tres præcipuè sunt, viz. Ἐξαθενισμὸς, Ἀνθυποφορὰ, Βίαιον.

1. Ἐξαθενισμὸς, sive Elevatio argumenti, tanquam

tanquam reſponſione indigni: ſi quidem revera tale ſit. Nam quale eſt argumentum, talis etiam debet eſſe reſponſio. Nugis enim ſeriò atq; operoſè reſpondere velle, perinde ridiculum eſt atque nugari in re ſeriâ.

2. Ανθυποφορὰ, ſive Objectio paris aut etiam majoris vel rationis rationi, vel autoritatis autoritati.

3. Βίαιον, ſive retorſio, idque ſecundum omnes illos modos, de quibus dictum Capite præcedente.

Hæ duæ poſtremæ reſponſiones uſitatiores ſunt in diſputatione ſolitariâ, quàm in ſociali, præſertim ſtrictâ. Et tam in hac quàm in illâ ferè non, niſi præmiſſâ aut ſubjunctâ aliquâ etiam directâ reſponſione, adhibendæ ſunt. Reſpondentis enim proprium officium eſt reſpondere, non regerere aut objicere. Et, ut dici ſolet, *Allegare inconveniens, non eſt ſolvere argumentum.* Et, *Non valet exemplum, quod litem lite reſolvit.*

Reſpondenti maximè cavendum eſt, ne aut ab initio falſam partem quæſtionis defendendam ſuſcipiat, aut in progreſſu diſputationis, negando veram aliquam propoſitionem, veritatem priùs ſuſceptam amittat, & Opponenti tradat.

N CAP.

propoſitiones inſerbientes
- Oponenti
  - Connexa & Diſjuncta affirmatæ.
  - Copulata & Diſcreta negatæ.
- Reſpondenti
  - Connexa & Diſjuncta negatæ.
  - Copulata & Diſcreta affirmatæ.

CAP. XLV.

De Disputatione solitariâ, sive de Positione.

DIsputatio solitaria est, cùm unus idemque Disputans tum Opponentis tum Respondentis officio fungitur. vel, est tractatio quæstionis perpetuâ oratione.

Hujusmodi oratio ab aliquibus *Suppositio* sive *Hypothesis*, ab aliis rectiùs *Positio* sive *Thesis* appellatur.

Positionis (ut & aliarum orationum) quinque sunt partes: Exordium, Expositio, Confirmatio, Refutatio, Peroratio. Quarum tres mediæ essentiales & principales sunt, prima & ultima accidentariæ & minùs principales.

1. *Exordium.*

Exordium ex multis variisque locis sumi potest.

1. A facilitate, vel difficultate quæstionis propositæ.

2. A celebritate, vel raritate.

3. Ab utilitate, necessitate, excellentiâ, convenientiâ respectu loci, temporis, personarum, &c.

4. θεολογικῶς,

4. περιπλικῶς, Ab apparenti inutilitate, non-neceſſitate, humilitate, inconvenientiâ reſpectu loci, temporis, perſonarum, &c.

5. Deniq; ex quavis re, quæ ullo modo ad Quæſtionem pertineat. Quod autem alienum, ſive (ut Rhetores appellant) vulgare eſt, & cuivis orationi æquè convenit, nulli convenit.

In hoc autem genere orationum, Exordium perbreve omnino eſſe debet, & potiùs nullum quàm nimium.

2. *Expoſitio.*

Hîc 1. Termini quæſtionis, ſi opus eſt, explicandi ſunt.

2. Summa cura adhibenda eſt, ut rectè figatur ſtatus controverſiæ, ne in πολυζήτησιν, aut ἐπεζήτησιν incidamus, id eſt, ne plures quæſtiones pro unâ, aut unam pro aliâ accipiamus.

3. Variis aliorum ſententiis recitatis, oſtendendum eſt, quid nobis cum ſingulis conveniat, quid diſcrepet; quid diverſum, quid oppoſitum ſit.

3. *Confirmatio*, ſive κατασκευή.

Confirmatio eſt, quâ ſententiam noſtram aſtruimus, & contradictorias ſive quocun-

que modo oppoſitas deſtruimus (unâ enim & eâdem operâ utrumque fit) omni genere argumentorum, tam artificialium ſive rationum, quàm inartificialium ſive autoritatum & teſtimoniorum.

Hæc in varia ſæpe membra diſtribuitur, pro variis opinionibus ſententiæ noſtræ oppoſitis.

Huic ſubjungitur Communitio: quâ in ſingulis argumentis vel colligimus & notamus ea, quæ reſponderi ſolent, vel occupamus ea, quæ reſponderi poſſunt, & contra utraque communimus & ſtabilimus argumenta noſtra.

4. *Refutatio*, ſive ἀναπευή.

Refutationem hîc intelligimus, non deſtructionem opinionum ſententiæ noſtræ oppoſitarum per noſtra argumenta (hoc enim, ut modò dictum eſt, unâ eademq; operâ fit cum Confirmatione ſententiæ noſtræ) ſed Reſponſionem ad objectiones contra ſententiam noſtram allatas. Igitur ut in Confirmatione, Opponentis; ita hîc, Reſpondentis partes agimus.

De variis reſpondendi modis dictum eſt capite præcedente, in Officio Reſpondentis.

Refutationi etiam ſua ſubjungitur Communitio, id eſt, defenſio reſponſionum noſtrarum

ſtrarum contra inſtantias adverſariorum: cùm ſcilicet vel notamus ea, quæ regeri ſolent, vel occupamus ea, quæ regeri poſſunt, & contra utraq; reſponſiones noſtras ſtabilimus.

Quando poſt recitatam Poſitionem ſecutura eſt Diſputatio ſocialis (ut in Academiis mos eſt) tota hæc pars (Refutatio ejuſq; Communitio) melius ad eam reſervatur, & in Poſitione omnino omittitur: ne eædem reſponſiones iterum repetitæ, tanquam crambe repoſita, auditoribus nauſeam & faſtidium pariant. Præterea minùs auditores afficiunt, minoremque apud eos ingenii laudem obtinent reſponſiones, quæ meditatæ ac præparatæ domo afferuntur, quàm quæ extempore in ipſâ arenâ ex Opponentis objectionibus natæ videntur.

5. *Peroratio.*

Peroratio (præſertim ſi Poſitio vivâ voce pronuncietur) habeat brevem ac ſummariam repetitionem præcipuorum capitum Poſitionis; unà cum Apoſtrophe (ſi opus eſt) ad auditores, ex iiſdem fere locis deſumptâ, ex quibus Exordium.

CAP.

CAP. XLVI.

De Methodo.

METhodus eſt variarum propoſitionum homogenearum (ſive ad unum aliquem ſcopum pertinentium) juxta naturæ ordinem diſpoſitio.

Ad perfectam igitur methodum tria requiruntur. 1. Ut nihil homogeneum (ſive ad ſcopum propoſitum pertinens) deſit. 2. Ut nihil heterogeneum (ſive impertinens) admiſceatur. 3. Ut omnia diſponantur juxta ordinem naturæ.

Cùm autem Ordo nihil aliud ſit, niſi ratio prioris & poſterioris: igitur etiam Ordo naturæ eſt, ut id, quod prius & notius naturâ eſt, præcedat; quod poſterius eſt, ſequatur.

Illud autem naturâ prius & notius eſt, quod abſque reliquis eſſe aut concipi poteſt, reliqua autem non poſſunt eſſe aut concipi abſque ipſo.

Hinc quò quid generalius ſive univerſalius eſt, eò prius & notius eſt naturâ, adeoq; priore loco diſponendum: inde ad ſpecialiora gradatim deſcendendum.

Unaquæque igitur res primò in genere proponenda

proponenda ſive definienda eſt, ejuſq; generales affectiones tradendæ: eadem poſtea *in ſuas partes diſtribuenda eſt.

In Diſtributionibus, præcedat Partitio Integri in Membra: ſequatur Diviſio Generis in Species.

Singulæ autem Partes (ſive Membra ſive Species) eodem ordine tractentur, quo propoſitæ ſunt.

Si inter partes longior interſit diſtantia: adhibendæ ſunt Tranſitiones.

Tranſitio (ſi perfecta ſit) oſtendit, 1. Quid dictum ſit. 2. Quid reſtet dicendum.

Horum alterutrum aliquando, brevitatis cauſâ, omitti poteſt.

Hæc, quam dixi, perfecta atq; naturalis Methodus eſt: quâ utendum, quoties auditor lectorve ſimpliciter docendus eſt.

Quoties autem non docendus, ſed delectandus, aut quoquo modo movendus, adeoq; aliquâ ex parte fallendus eſt; variæ adhiberi poſſunt Crypſes ſive occultationes methodi, prout commodum videbitur. viz.

1. In Defectu, homogenea quædam omittendo, aut breviter tantùm perſtringendo.

2. In Exceſſu, heterogenea quædam admiſcendo (ut in Digreſſionibus) aut homogenea

mogenea quædam identidem repetendo, iiſve diutiùs inſiſtendo, ut in Commorationibus.

3. In Tranſpoſitione, naturalem ordinem turbando ſive invertendo.

Hæc appellatur *Methodus prudentiæ*: illa prior *Methodus naturæ*, ſive *artis*, ſive *rei*.

FINIS.

Cap: 41. De Sorite

Sorites est Coacervata Series Antecedentiū et ꝯseqntiū ultimum tandem Cum ſ° Connectens.

Ejus Duo Sunt modi.

1 Primus (qi et Solus ab aliis ponitr) est qo ꝯseqns propositionis præcedentis fit Antecedens Seqentis atq ita tandem ultimum ꝯseqns primo Antecedenti Connectitur.

Ratio, qia ꝯseqns ꝯseqntis est ꝯseqns Antecedentis.

Ex: gr:

Categorice		Hypothetice	
Omnis Homo est	Animal	Si. Homo est	Animal. Est.
Animal	Aīatū	Aial	Aīatū
Aīatū	Corpus	Aīatū	Corpus.
Corp⁹	Substantia	Corp⁹	Substa.
Ergo Ois Homo	Substa	Erg: Si Homo	Substa Est.

2 Secundus modus est qo Antecedens ꝓpositionis præcedentis fit ꝯseqns Seqntis atq ita tandem primum Conseqns ultimo Antecedenti Connectitr.

Ratio, quia Antecedens Antecedentis est Antecedens Consequentis.

Ex: Gr:

Categorice		Hypothetice	
Omn: Corpus	Substā	Si Corpus	Substa
Aiatū	Corpus	Aiatū	Corpus
Aīal est	Aiatum	Aial Est	Aiatū Est.
Homo	Aīal: Erg	Homo	Aial ... Ergo
Homo	Substantia	Homo	Substa

In utroq modo Conclusio eadem est et reliqæ propositiones eædem sed inverso ordine Collocatæ.

In his qot Sunt propositiones ultra tres, tot Sunt nova media adeoq tot prosyllogismi.

Qui novit Syllogismum Componere facile etiam noverit Soritem in Syllogismos et prosyllogismos Convertere idq varie variando ordinem mediorum qæ Sunt inter Subjectum et prædicatum principalis Conclusionis.

Huc referri potest ut non multum ab his diversus et usu etiam præstantior Sorites Enthymematum.

Hujus Duplex est processus vir. 1. A principiis ad Conclusiones per illativam Ergo: 2 E Converso a Conclusionibus ad principia per Causatam quia.

1. A principiis ad Conclusiones quando ex primo Antecedente proximum Consequens infertur et ex illo Consequente aliud consequens et sic gradatim unum ex alio usque ad ultimum consequens seu Conclusionem principaliter intentam.

2. A Conclusionib. ad principia quando ultimum consequens seu principalis conclusio probatur ex proximo Antecedente, et illud Antecedens ex alio et sic gradatim unum ex alio usque ad primum Antecedens seu principium. Utroque modo procedi potest

Vel

Directe: Ostensive	Oblique: ad Impossibile
1. A principiis ad conclusiones	Ad conclusiones A principiis
Omnis Homo Animal	Aliquis (inquis) Homo non est Substantia
Ergo Omnis homo Animatum	Ergo. Aliquis homo non est Corpus
Ergo. Omnis Homo est Corpus	g. aliq. Homo non est Animatum
Ergo. Omnis homo Substantia	g. Aliq. Homo non est Animal
Vel sic.	Vel sic.
Omne Corpus est Substantia	Aliquis Homo non est Substantia
Erg: Omne Aiatum / Omne Aial / Omnis Homo } est Substantia.	g. Aliquid Aial / Aiatum / Corpus } non est Substantia
2. A conclusionibus ad Principia Ostensive	A conclusionib: ad principia ad Impossibile ex sententia ad
Omnis Homo est Substantia	Aliquis Homo Non est Animal
Quia omnis Corpus	Quia / Quia / Quia } Aliquis Ho. Non est { Animatum / Corpus / Substa
Quia Animatum	
Quia Animal	
Vel sic.	Vel sic.
Omnis Homo est Substantia	Aliquid Corpus Non e. Substa
Quia omne Animal / Quia Aiatum / Quia Corpus } est Substa	Quia / Quia aliq: Aiatum / Aial / Quia Homo non e Substa.

In Soritis ENTHYMEMATUM quot sunt propositiones ultra duas tot sunt nova media adeoque tot prosyllogismi.

Quomodo autem quodvis Enthymema in Syllogismum Converti possit supplendo praemissam quae deest docetur Cap. 37.

Vel quomodo datis Quaestione et argumento Confici possit Syllogismus docetur Capp. 26 & 35.

Hoc modo celerrime discurri potest a principio ad finem et vice versa a fine ad principium cujuscunque Argumentationis ex quotcunque prosyllogismis

Sive novis mediis constet et in quacunq parte argumentationis haeserit aut titubaverit Adversarius Statim arripi potest et uno quasi spiritu, uno momento transferri vel ad ultimam Exclusionem sive principalem Quaestionem inferendo vel ad primum principium sive Argumentum probando.

Oportet autem ut omnes Consequntiae vel per se manifestae sint et immediatae vel probationem habeant in procinctu.

Hoc mo brevissimè et Clarissimè demonstrari Possunt propositiones apud Euclidem sive Ostensivè sive Ad Impossibile. Si modo Singulae Consequntiae Confirmentr p aliqd jam ante notum. Exempli gratiâ.

Ostensivè 48 primi.

In △ CAB Si, CBq = ABq + ACq erit Angulus ACB rectus,

Ducatr ex A ipsi AB perpendicularis AD = AC. Jungatur DB.



Tum

Ostn. AD. ppendicularis est AB

10.d.1 Ergo $D\hat{A}B$ rectus

27.d.1 Ergo $D\hat{A}B$ rectangulū

47.1 Ergo DBq = ABq + ADq

Ergo. DBq = CBq ... ACq

47.1 = ABq + ACq

Cor 46.1 Ergo DB = CB

Ergo $D\hat{A}B$ & $C\hat{A}B$, habent se juxta 8.1. (Nempe AD = AC. AB Comun. BB = CB)

Ergo. $D\hat{A}B = C\hat{A}B$

Rect. Ergo Rect. q.e.d.

Ad Impossibile 2. tertii

Si in peripheria circuli ABC duo puncta (AC) accepta fuerint; recta qa ad puncta adjungitur Cadet intra circulum.

Sit AC recta et cadat Extra circulum

Ergo $A\hat{D}E$ Externus est ⊏ $D\hat{C}E$ interiore & opposito 16.1

Ergo $A\hat{D}E$ ⊏ $D\hat{A}E$ 5.1

Ergo $\overline{AE}$ ⊏ $\overline{DE}$ 19.1

Ergo $\overline{BE}$ ⊏ $\overline{DE}$ 15.d.1.

$\overline{AE}$

Ergo pars ⊏ Toto.

Quod est Absurdum.